IOANNIS GALLEGO DE LA SERNA,

MALACHENSIS,

Catholicorum PHILIPPI III. & IV.

HISPANIARVM REGVM

ARCHIATRI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEC NON

CHRISTIANISSIMÆ GALLORVM REGINÆ,

PRIMARII QVONDAM MEDICI.

De naturali Animarum origine,

Invectiva adverſus DANIELEM SENNERTUM.



BRVXELLÆ,

Apud FRANCISCUM VIVIENUM, ſub ſigno Boni Paſtoris. 1640.

PERMISSIONE REGIA.

PERILLVSTRI ET AMPLISSIMO VIRO
DOMINO
FRANCISCO DE PAZ,
REGVM CATHOLICORVM
PHILIPPI III. ET PHILIPPI IV.
ARCHIATRO,
EXPERTISSIMO ET FELICISSIMO
D. FRANCISCVS AVILES,
SOTOMAIOR GALLEGO
Medicus Aulicus Sereniſsimi Principis FERDINANDI *Cardinalis Infantis Hiſp. &c.*

EA eſt difficultas in perveſtigandis naturis rerum (Perilluſtris & Sapientiſſime Domine) ut licet in illis maxime eluceat divina potentia, tamen Princeps Philoſophorum Ariſtoteles non erubuerit confiteri humanos oculos ad illas perſpiciendas non ſecus ac veſpertilionum ad lucem meridianam caligare. Experientia pluſquam quotidiana id nos docet, ſed talis eſt humani ingenii, tum ſolertia, tum audacia, ut nec difficultate rerum, nec ſubtilitate teneatur. Luculentè hoc teſtatur D. Ioannes Gallego de la Serna primus Regiæ Catholicæ Maje-

ſtatis Philippi IV. Medicus ac Perilluſtris D.V. Collega amantiſsimus, dum in re obſcuriſsima, & maximè ab hominum cognitione remota qualis eſt formatio fœtus in utero materno, veritatem tam clarè detexit ut in ea & vita mortalis, & mors vitalis quæ nobis omnibus ex divina deſtinatione communis eſt, quam clariſsimè depræhendatur. Conatus fuit Daniël Sennertus huic veritatis luci tenebras aliquas offundere, ſed eas tam ſolidè juxta rem fœliciter diſsipat (hæc invectiva mihi ſoli ab eo ſcripta) ut ob tanti viri nomen communemque utilitatem illam publici juris putaverim eſſe faciendam. Sed quia vehemens ſenſibile obtundit ſenſum, ut Medici loquuntur, exiſtimavi umbra tui nominis tantam lucem, non tam infringēdam quam adverſariorum imbecillitati conſulendum, ut qui ab illa directè propoſita quaſi perſtricti abhorrere ſoliti ſunt, dum eam adeo ſuavi docto amœnoq; præſidio refractam quaſi vident ſequè præmunitos, libentiùs ſi omninò plenè non poſſunt ſaltem conentur intueri. Vale Perilluſtris ac Ampliſſimè Domine, teque Regibus Catholicis Sereniſsimo Principi totique Reipublicæ Chriſtianæ, atque imprimis Medicinæ noſtræ alumnis, quam diutiſsimè ſerva incolumen Bruxellis 11. Kal. Majas, 1638.

DO-

DOCTOR
IOANNES GALLEGO
DE LA SERNA,
Catholici Regis PHILIPPI III. & IV.
HISPANIARVM REGVM
ARCHIATER,
AD AMICVM
D. FRANCISCVM AVILES, SOTOMAIOR GALLEGO
Medicum Aulicum Sereniſsimi Infantis FERDINANDI.

NIMIS, Amice Aviles,exulto, & veluti diſcuſa ſenectutis frigiditate rejuveneſco , quoties litteræ tuæ ad meas perveniunt manus. Vnde non immerito cupio,ut ad invicem iſtud Epiſtolarum commercium frequentemus , tum, ut ſalutis, bonæq́; tuæ fortunæ mentione meus alacer perſeveret animus : tum , ut detur locus, quo meis frequentatis conſiliis , atque paternis monitionibus , veluti flabellis aſſiduè motis , ſemi ignitus carbo tuus intellectus ad medicinalium diſputationum frequentem laborem, quod mihi indiſceſſu promiſiſti, magis, ac magis indies accendatur. Nec mireris Amice, quod tuam laborandi frequentiam tanto conatu deſiderem : nam dum hoc facio , meum deſidero opus,ſcis enim, quod cum te noſtro Domino,ac Hero,magnoq́;Regi PHILIPPO IV. ad vitæ cuſtodiam , ſalutiſq́ue propugnaculum Sereniſſimi Infantis FERDINANDI, tamquam bene meritum propoſui, hujus honorifici fœderis, veluti obligatum pignus ego manſi. Vnde ſi propter negligentiam, atque deſidiam, non ita ſapiens, atque perfectus Medicus, ut cœpiſti , aliquando videatis , mihi merito imponetur culpa. Certus vero ſum, quod fere impoſſibile ſit hoc contingere poſſe. Præſtantia enim atque accuties tui intellectus ſcientificis habitibus jam diu perfectè illuminati, il-

lud permittere minime ſinet. Nam, ut talia ingenia objecta vilia prompte deſpiciunt, ad grandia intelligibilia ſæpiſſime feruntur, ipſiſque perfectiora quotidie reddi conantur: cum contrarium menti, ac ſenſibus in ſuorum objectorum cognitione accidat: nam quemadmodum hi à vehementibus ſenſibilibus corrumpuntur, ita illa à fortiſſimis intelligibilibus magis, ac magis illuſtrātur, atq; perficiuntur, propter materialium, aut immaterialium ſubjectorum diſcrimen harum potentiarum. Quapropter paternali amore affectus, nimis te exoro, ut Medicas, ac Phyſiologicas diſputationes tuus intellectus non aboriatur, ſed perfectè naturas ipſas pariat, mihique remittas. Magni quidem facio, Amice, quod ſapientiſſimo, ac prudentiſſimo Doctori Paz volumen, quod de generationis principiis, & de facultatis formatricis natura, & excellentia edidi, acutè, & perfectè elaboratū viſum ſit. Quod quidem non minus ſpero de ſecundo volumine, quod jam lutetiæ excurſum integrè eſt: in eo enim ea omnia docentur, quæ tenentur ſcire ii omnes, qui per rationalem artem languentibus mederi cupierint, ideoq; utiliſſimum, & ſumme neceſſarium, iis, qui artis opera aggredi incipiunt eſſe confido. Neque ſolus eſt concollega noſter Paz, qui noſtrorum laborum diſpoſitionem, probandiq; rationem laudet, ſed à multis exterorum, ignotorumque congratulatorias accepimus epiſtolas. Neque propterea contriſtatus ſum eo, quod mihi ſcribas Daniëlem Sennertum quamplurimas repræhenſiones mearum opinionum noviter edidiſſe, tum, quod non ita ab humana fragilitate, atque errandi promptitudine alienum me eſſe exiſtimem, ut omnium veritatem perfectè aſſequi ſit neceſſe; tum, quod certus ſim tantum virum non à mediocri opinionum robore, atque aculeo ad earumdem repræhenſionem irritari: natura enim non niſi à nimis pungenti objecto moleſtata ad expulſionem movetur. Tum prætereà quotieſcumque aliquod opus hominum examini ſubiicitur, impoſſibile fere eſt, quod diutius ſine calumnia perſeveret: præſertim, ſi vetuſtatum opinionum aliqua inſurgat immutatio. Fateor quidem Domine, quod etiamſi quatuor ſatis doctos libros de febrium natura, & curatione, & alia ad praxim attinentia opera hujus viri videram: nullam tamen Phyſiologicam ejus diſputationem legeram. Nunc vero tua admonitione motus libellum de hypomnematibus Phyſicis quæſivi, integrumque perlegi. Quod celeriter, quantum potui, abſolvi, antequam ſcilicet, congregatio eorum judicum, quos Catholica Majeſtas in fidei defenſionem deſtinatos habet, ejuſdem libri lectionem in partem prohiberet, propter aliquas propoſitiones, quas iſte auctor non ita attente, ſcripſit, ac Eccleſia Romana permittit. Nam

etiamſi

etiamſi liber ſatis docte ſit diſpoſitus, doctrinalemque viam in ſuo docendi genere ſervare videatur auctor: in eo tamen errorum numero peccaſſe conſpicitur, in quo incidunt ii, qui in malos præceptores, in malorumque auctorum libros à principio lapſi fuerunt.

Et quamvis in eo libro ſæpius, atque injuſtè me vellicatum, atque repræhenſum inveni: multa tamen me cogunt, ut ab iſtis repræhenſionibus publicè, atque ex inſtituto me defendam, apologiamque more vulgarium auctorum conſcribam. Veritas enim mearum opinionum tam validis nititur fundamentis, ut non à quibuſcumque funeſte lædi poſſit: præſertim à rationibus hujus viri, cujus opinionum fundamenta partim depravatè olent apud fidem, partim ita diſſona à principiis Phyſicis ſunt, ut ſua ſponte labantur. Eſcuſari quoque debent à maturis, & in excelſibus dignitatibus conſtitutis viris apologeticæ reſponſiones, quia quantum impura corpora ab utilibus alimentis læduntur, tantum animi, qui jam dudum à pravis opinionibus ſunt compræhenſi, in ipſiſque inſenuerunt, ita offenduntur à veris utilibuſque doctrinis, ut potius ſuper via & vana ambitione commoti adverſus ipſas impudenter inſurgant. Nam, ut inquit Galenus, faciliuseſt ab inveterata ſcabie corpora mundare, quam à conſuetis opinionibus pravis animos liberare, & ad veritatem eoſdem revocare.

His tamen non obſtantibus placet mihi in hac Epiſtola tibi ſoli per ſumma capita refferre falſitatem opinionum Sennerti, ut cum librum legeris, ſcias; quam injuſte me taxet. Potiſſimum vero fundamentum opinionum Sennerti eſt, quod omne ſemen eadem anima numero informatum ſit, qua fœtus perfectus poſtea informatur: ita, ut ſemina plantarum in ipſamet planta per multiplicationem animarum recipiant animos, ſemina vero animalium in teſtibus parentum animabus informentur virtute ſeminum traductis, ſive multiplicatis. Quod etiam animabus rationalibus contingere affirmat. Eundem generationis modum animas rationales habere exiſtimat, quem animæ brutorum obtinent. Vnde fictitium atque prorſus vanum aſſerit eſſe dicere, animas brutorum ex poteſtate materiæ educi: neque id Ariſt. aut Averroëm ſomniaſſe affirmat. Et quamvis omnes iſtas opiniones in meis libris de principiis generationis ſufficienter caſtigatas invenies, ut tamen earumdem falſitatem perfectius percipias, aliquid addere in hac Epiſtola conabor.

AD

AD LECTOREM.

QVi noſtro ſæculo ſcripta publici juris faciunt, ut plurimum ea onerant maximis titulis Græco-Latino-Hebraïca redolentibus; & ad auctorem ſcripti commendandum, remque de hinc ſcriptam, in præfatione ſeſquipedalia verba fingunt. Candide Lector hoc non facio, ne inſanum morem jam pro lege receptum ſanus ſequar. Adverſus Danïëlem Sennertum invectivam hic habes, quam ſapientiſſimus ejus Auctor mihi tantum ſcripſit, & tibi in lucem edere decrevi, ne honeſtum, utile, & jucundum doctrinæ tanti viri propagari deſineret. Fortunato pectori tuo admove, & multa ad tuum palatum gratiſſima reperies, non ſolum ab Archiatro ſapientiſſimo inventa, ſed & Ariſtotelica doctrina quam maxime digna. Hanc neſcio (proh dolor) quo fato nimis acerbe Sennertus excipit. Cum tanto enim artificio invectiva hæc formata eſt, ut libri Auctoris (de principiis generationis omnium viventium) compendii loco eſſe poſſit. Turpè enim eſt ex voluminum magnitudine ponderoſa famam acquirere. Qualitatem potiorem judicem proba, bono animo lege, & vale.

CA-

DE NATVRALI ANIMARVM ORIGINE, INVECTIVA ADVERSVS SENNERTVM.

CAPVT PRIMVM.

Quod omnes animæ materiales, & omnes reliquæ formæ tam ſubſtantiales, quam accidentales, tum etiam, & artefactorum, ex materiæ poteſtate educantur, & quod educi ex materiæ poteſtate, nihil aliud ſit, quam ille progreſſus generationis, quem docuit Ariſt. & quod nulla actio materialis à ſola anima fieri poſsit, ſed à toto compoſito.

QVAMVIS veram eſſe ſententiam eorum, qui dicunt animas materiales ex materiæ poteſtate ab intrinſeco agente educi, ſpirituales vero creari ſatis probabiliter confirmatam invenies lib. 3. de generationis principiis c. 15. & 16. quia tamen Sennertus valde irridet me, & alios, qui hanc doctrinam, tamquam Ariſtotelicam proponunt, & quia ita parvi pendet ipſam, ut dicat eos, qui hanc doctrinam afferunt, ſolum nuda

verba merumq́ue figmentum afferre, & ſolum hāc opinionem ortum habere ab ſcholaſticis eandem tranſcribentibus hæreditario jure, in ipſiuſque explicatione varie, ac miſere ſe torquentibus, ſeque affirmat nunquam talem doctrinam in Ariſtotele inveniſſe, & acriter quoque repræhendit Franciſcum bonamicum, quod tribuerit Averroi iſtam formarum eductionem: propterea inquam nunc aperte probare contendam, nullam rerum naturalium generationem fieri ſenſiſſe Ariſtotelem, niſi per tranſmutationem ac elaborationem materialis ſubjecti factam ab agente generationis univoco, vel æquivoco, hancque actionem formæ eductionem ex poteſtate materiæ vere, & propriè noſtros appellaſſe latinos: imo & eundem educendi modum formæ artem naturæ emulatricem ſervare, doctrinam eſſe Ariſt. fideliter probabo. Cæterum cum iſte auctor per varia præcipicia ſuum faciat iter ad originis animarum inventionem, & in toto generationis ductu longe ſeparetur à vera Ariſtot. doctrina, non mirum eſt, ſi ipſam, qualis revera eſt, nequeat intelligere, & originem animarum ab Ariſt. propoſitum ignoret: quamvis igitur Ariſtot. non fuerit uſus verbis iis, quibus poſteà ejuſdem veri diſcipuli utuntur ad expri-

Nulla fit rei naturalis generatio, abſque traſmutatione materialis ſubjecti, ab agente generationis facta.

exprimendum verum modum, quo viventium ſit generatio novarumq́ue animarum productio, ſecundum ejuſdem Ariſtot. doctrinam: rem tamen eodem modo, ac Ariſt. fieri ſentiunt omnes ij auctores, qui ipſam ſophiſmatis, aut ignorantia implicare, ac obſcuram facere nolunt. Et etiamſi Ariſt. verum animarum, quæ aſsiduè generantur, modum, quemque omnium primus auctor inſtituit, multis in locis tetigit: potiſsime tamen illum explicuit lib.2. de gen. an. c.3. dicens: quorum enim principiorū actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt: verbi gratia, ambulare ſine pedibus. Itaq; extrinſecus ea venire de reliquis formis præter mentem dici impoſsibile eſt. Neque enim ipſa per ſe accedere poſſunt, cum inſeparabilia ſunt,· neque cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati eſt. Reſtat igitur, ut mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola divina ſit. Nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis, &c. In quo loco probat ſolam mentem, id eſt ſolam animam rationalem extrinſecus advenire diſpoſitæ materiæ, divinamq́ue eſſe, hoc eſt à Deo venire: nam quamvis non cognoverit creationem, hoc eſt aliquid ex nihilo fieri; cognovit tamen animam rationalem fieri

Ariſtoteles. Primus auctor, veri modi quo animæ aſsiduè generantur.

Quamvis Ariſtoteles non cognovit

creationem; animam rationalem non poſſe fieri ab agente materiali per materiæ elaborationem, perfectè cognovit.

non poſſe ab agenti aliquo materiali per materiæ elaborationem, ut materiales animæ fiunt, ſed ab aliquo extrinſeco agente, nempe à Deo ipſo. Et reddens hujus rei cauſam, inquit: nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis, id eſt, quia ejus principalis actio, nempe intellectio, non indiget organo corporeo. Hæc enim actio ſuperat, atque tranſcedit totam materiæ capacitatem, atque potentiam. Reliquas vero omnes animas intrinſecus fieri affirmat Ariſtot. id eſt, ab agente naturali per materiæ tranſmutationem: quia, ut inquit Ariſtotel. animæ quarum actiones ſunt corporales, id eſt, quarum actiones fieri nunquam poſſunt niſi in organo corporeo, exempli gratia, ut inquit, ambulatio, ita neceſſario indiget pedibus, ut ſine ipſis nullo modo fieri poſsit, impoſsibile eſt, ut ab extrinſeco fiant agente, ut inquit. Has enim animas, aſſerit, certum eſſe non poſſe exiſtere in rerum natura ſine corpore: nam ita inſeparabiles eſſe à corpore, ut ſunt accidentia, affirmat. Probat vero non poſſe tales animas fœtibus advenire in corpore ſemineo, quia cum ſemen ſit excrementum, id eſt, ſit humiditas reſultans ex tertia coctione, non poteſt eſſe animarum capax. Nam, ut probat, tales animæ non poſſunt ſine organis ope-

De ſententia Ariſtotelis, animæ materiales ita ſunt inſeparabiles à corpore ſicut accidentia.

operari, & ex conſequenti, neque in rerum natura eſſe. Vnde certum eſſe inquit, has animas intrinſece generari, in cauſa ſcilicet materiali, ita ab agenti naturali cauſa. Cum vero tales animæ antequam generentur, non ſint actu in ipſa materia, neceſſe eſt, ut in eadem prius ſint in potentia: imo propterea recipiuntur actu ab ipſa materia, quia prius erant in eadem in potentia paſsiva ejuſdem materiæ, quemadmodum antequam egrediuntur ab agente, ſunt in eodem in potentia activa. Quod declarat Ariſt. dicens: Omnes enim animas materiales potentia prius haberi, quam actu neceſſe eſt, &c. quibus verbis aſſerit Ariſtot. animas iſtas, quæ actu nunc non ſunt in corpore, poſteà vero ita ſunt actu in eo, ut ab ipſo ſine corruptione ſæparari nequeant, neceſſarium eſſe, ut prius ſint in potentia activa ſeminis, & in potentia paſsiva menſtrui. Nam, ut inquit cap. 3. ejuſdem libri: quemadmodum ſemen virtutem habet activam articulandi, & animandi menſtrum: ſic quoque parem habet menſtrum virtutem paſsivam recipiendi à ſemine dictam articulationem, & animationem. Quicumque enim futurus effectus, ita naturaliter, ac per ſe dependet à cauſa materiali in genere receptionis, ac dependet à cauſa efficiente in

Ideo formæ materiales actu recipiuntur in materia, quia in potentia paſsiva ejuſdem prius erant.

Effectus naturaliter à cauſa materiali in genere

receptionis ita dependet, ab cauſa efficienti in genere activitatis.

in genere activitatis, ſive naturalis egreſſus. Vnde tunc dicitur perfectè completum eſſe aliquem effectum, quando perfectè eſt egreſſus à virtute activa ſui generantis, & convenienter eſt receptus à ſua cauſa recipiente, ſive materiali: proſequitur vero Ariſtot. explicationem ejuſmodi quo ſemen, tamquam inſtrumentum generantis, formet, & animet, ac veluti coagulet menſtrum, dicens, non ſimul fieri animal, & hominem, aut animal, & equum: quoniam, ut inquit, non ſtatim, ac ſemen incipit commutare menſtrum, conſequitur ultimum finem, id eſt, formæ principalis totalem generationem. Nam cum totum hoc opus fiat per motum alterativum mediante quo menſtrum ſubſtantialiter, mutatur in carnem, oſſa, & in reliquas partes, impoſsibile eſt, ut agens naturale, cum habeat limitatam potentiam, ſubito tranſeat ab imperfecto ad perfectiſsimum, ſed potius ſenſim, & paulatim, & per medias quaſdam formas ad productionem perfectiſsimæ formæ tendat. Et hoc eſt, quod ſignificavit Ariſt. quando dixit non ſimul fieri animal, & hominem.

Animal, & homo non ſimul fiunt.

Agens naturale ab imperfecto, ad perfectiſſimũ, non ſubito trãſit.

Quid apelletur, ab Philoſophis, edu-

Hic igitur eſt naturalis, ac genuinus viventium generationis progreſſus: quem quidem eleganter explicuit Ariſt. Et hunc etiam modum generandi nos

nos appellamus eductionem formæ ex poteſtate materiæ, ita ut nullo modo differat, à modo generandi propoſito ab Ariſt. cum nihil aliud ſit ſecundùm Ariſt. doctrinam animā materialem ex poteſtate materiæ generationis produci, quā ex elaboratione ac ſubſtantiali tranſmutatione materiæ facta ab agente ejuſdem generationis reſultare animam. Habent etenim agentia naturalia per divinam benedictionem, congenitam virtutem diſponendi, & animandi materiam generationis, faciendique alterum ſibi ſimile individuum. Vnde verum eſt, quod dicitur, quod ſcilicet totum eſſe materialium animarum oriatur à generante effectivè, & à materia ſubjectivè; & hæc eſt cauſa quare dicantur educi ex poteſtate materiæ. Quod nihil aliud eſt, quam animas iſtas non fieri ſeparatim à materia, & totum per ſe fieri per unionem formæ cum materia: nam quemadmodum anima canis, v.g. habet naturalem inclinationem ad materiam ſibi diſpoſitam: ſic materia diſpoſita à cane habet naturalem inclinationem ad formam caninam. Dicitur vero talis anima educi ex poteſtate materiæ, quia poteſtas, quam habet eadem materia, redacta fuit ad actum per tranſmutationem factam ab agente, ſicut figura ſtatuæ reſultat ex

ctio ex poteſtate materiæ.

Vnde advenit naturali agenti, virtus alterum ſibi ſimile producendi.

Sicut forma habet naturalem inclinationem ad materiam, ſibi ultimato diſpoſitā:

ligni

ita materia diſpoſita, ad ipſam formam.

ligni elaboratione facta ab artifice. Qui vero hanc doctrinam negat, non eſt aſſequutus verum generationis progreſſum, quem Deus optimus, maximus viventibus dereliquit. Quare immerito Sennertus repræhendit hunc generandi modum, ſive hunc modum educendi animas ex materiæ poteſtate, immeritoque negat hanc doctrinam Ariſtotelicam eſſe, cum revera non differat quamvis verba differre, obſcuramque facere doctrinam videantur. Immerito quoque, ac ſatis impudenter repræhendit Angelicum Doctorem D. Th. quod dixerit, nihil aliud eſſe educi formam ex poteſtate materiæ, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia: nam propterea actu fit ſub forma materia, quia naturaliter habebat potentiam ad ipſam formam. Omnes enim effectus prius haberi potentia, quam actu neceſſe eſt, ut dixit Ariſt.

Omnis effectus prius potentia, quam actu habetur.

Quod vero formæ ſive figuræ artefactorum ſimili modo educantur ab artifice ex poteſtate materiæ, ligni, lapidis, aut alterius metalli per additionem, vel detractionem ejuſdem materiæ, probat quoque Ariſtot. lib. 10. Metaphyſicorum. Quemadmodum enim animæ materiales, ſive aliæ quæcumque formæ acquirunt eſſe in materia, ipſa propter tranſmutationem ſubſtantialem ejuſdem ma-

materiæ, ideoq; dicuntur educi ex ejus poteſtate: ſic figuræ artefactorum dicuntur educi ex poteſtate ligni, quia reſultant ex elaboratione ejuſdem ligni, dum artifex totam ſtatuam facere conatur. Nam quemadmodum anima equi non fit ſeparatim ac per ſe ſubſiſtens, deindeque applicatur materiæ, ſed faciendo equum agens animam producit mediante qua illa materia efficitur equus, ideoque ex materiæ poteſtate dicitur educta: ſic contigit figuris artefactorum. Omnes enim naturales, ſive artificiales formæ, cum non habeant propriam ſubſiſtentiam, non inducuntur in materiam, ſed potius educuntur ex illius poteſtate, quia ſcilicet tales formæ dependent à materia, tamquam à ſua naturali materiali cauſa, ideoque non extrinſecus, ſed intrinſecus fiunt, ut inquit Ariſtot. & propterea dicimus hanc doctrinam de eductione formarum eſſe deſcriptam ab Ariſtot. qui nec eſſe formas actu materiales in materia, neque exterius illi advenire dixit, ſed habere materiam potentiam, ut ex illius elaboratione reſultent eo modo, quo dictum eſt. Averroes vero clare, & aperte uſus eſt noſtris vocabulis, tum alibi, tum l. 12. Meth. com. 18. nam arguit contra artificiales formas, dicens: Formas artificiales, neque induci

Forma artificiales à materia: ſimili modo ac forma ſubſtantiales educuntur.

Forma materiales, & artificiales, non habent propriam ſubſiſtentiam.

in ſubjectum, neque educi ex ſubjecto: nam ſi inducerétur, fierent extra ſubjectum, etſi educerétur, fierent per generationem. Et hæc ſufficiant, ut colligere poſsimus productiones formarum, quæ reſultant ex materiæ tranſmutatione, appellaſſe Averroes, eductiones formarum ex potentia materiæ.

Vnde patet, quam citra rationem neget Sennertus, ſequelam, quam noſtræ opinionis auctores faciunt, dicentes, ideo educi formas materiales ex poteſtate ſuæ cauſæ materialis, quia ab ea dependent ineſſe, fieri, & operari. Et quamvis ipſe concedat iſta omnia, negat tamen formas has propter dictas cauſas educi ex materiæ poteſtate, ab eaque eſſentiæ dependentiam habere. Nos autem contra aſſerimus: fatemur enim totũ fieri, & eſſe formarũ materialium dependere ex illis cauſis, in quibus ſunt in potentia, antequam fiant actu. Sunt autem principia intrinſeca à quibus totum fieri, & eſſe formarum materialium dependet materia, & efficiens. Nam quemadmodum à natura agentis dependet talis animæ, vel alterius formæ natura: ſic à materia dependet in eſſe materialis. Hæ enim duæ cauſæ generationis in productione formæ ſe mutuo juvant in diverſo genere cauſæ: ita, ut quam-

Eſſe formarum materialium dependet ab illis cauſis, in quibus ſunt in potentia, antequã fiant actu.

quamvis forma ſuum eſſe ſimpliciter accipiat à generante, actuante, ac perficiente materiam, quod vero talis forma dicatur, & ſit materialis, à ſola materia dependet. Habet igitur generatio formæ dependentiam à materia, quia in eodem genere, in quo cauſalitas pendet à cauſa, pendet etiam effectus ab eadem cauſa: unde fit, ut formæ materiales pendeant à materia, quia in eodem genere pendet generatio à materia, quia cauſalitas eſt ratio per quam effectus pendet à cauſa. Quapropter iterum colligimus contra Sennertum, veriſsimam eſſe conſequentiam eorum, qui dicunt ideo dici formas materiales educi ex poteſtate materiæ, quia ab ea dependent in eſſe fieri, & operari: nam quamvis earum fieri, & eſſe ſimpliciter pendeat à generante, ſecundum tamen quid à materia eo modo, quo dictum eſt dependent. Et niſi is modus effectionis, ſive eductionis concedatur, omnino tollitur verus, ac naturalis generationis ductus, & individuorum ex individuis continua proceſsio, quam omnipotens Deus, ſecundis cauſis, quam à principio mundi creavit, reliquit. Nam quamvis nullam formam futurorum individuorum actu reliquirit: reliquit tamen unicuique eorum individuorum, qui per univocam genera-

In quo genere, cauſalitas dependet, à cauſa, in eodem, dependet effectus ab eadem cauſa.

Ideo dicitur formam materialem educi, ex poteſtate materia. Quia, in eſſe, fieri, & conſervari, ab ea dependet.

tionem fiunt, virtutem activam educendi formam ex tranſmutatione materiæ, ex cujus formæ, & materiæ unione reſultat alterum individuum ſibi ſimile. Vnde ſequitur, ut novarum animarum, & reliquarum omnium materialium formarum productio non ſit creatio, ſed vera generatio, cum creatio ſit productio rei facta à ſola omnipotente cauſa, independentiſque à cauſa intrinſeca materiali, & ab efficiente particulare: contra vero generatio, ut conſtat. Et ſuppoſita hac virtute gignendi, quam dereliquit Deus viventium ſpecierum individuis juſſu ejuſdem Dei per generationem multiplicantur. Quod quidem non juſsit ſolis animabus, ſed piſcibus, & avibus, & reliquis individuis: aſſerit vero Sennertus hanc multiplicationem ſolis convenire animabus: quia, ut inquit, commune Philoſophorum dictum eſt, formas eſſe ſui multiplicativas. Iſte tamen auctor fugit ſtatutum ab Ariſtot. & ab omni Phyſica ratione præceptum quod aſſerit nullam poſſe animas materiales actionem edere ſine organo corporeo. Nam quamvis omnes actiones oriantur ab anima, tamquam à fonte, & origine efficientiæ, non tamen oriuntur ab ea, tamquam ab agente quod agit, ſed tamquam ab agente mediante quo totum

Vera creatio à ſolo Deo ſit.

Nulla anima materialis, ſine organo corporeo. Vllam actionem edere poteſt.

tum ſuppoſitum agit. Vnde quemadmodum, neque anima ambulat, neque natat, neque texit, neque ſe nutrit, ſed totum ſuppoſitum ſe nutrit, &c. Ipſa vero eſt principium quo, hæc omnia peragantur: ſic anima non ſe generat, nec ſe multiplicat, ſed totum eſt, quod generat aliud ſimile totum eo ordine, quo dictum eſt. Quod quidem, vel non potuit, vel noluit intelligere Sennertus; & hinc naſcitur fere ſuorum errorum origo: nam cum dicat ſolas animas abſque aliquo corporis neceſſario conſortio habere virtutem ſe multiplicandi mediante ſemine, totum tollit naturalis generationis progreſſum, quem cum Ariſtot. ſine hæſitatione confitetur ſanctus Thomas, & concedunt omnes grandes Philoſophi, & parvipendunt, & abominantur ab iſta animarum, ex ſolis animabus procreatione.

Fundamentum erroris Sennerti eſt exiſtimare, animam eſſe principium quod multiplicationis & generationis.

Quapropter cum falſum ſit hoc Sennerti fundamentum, falſa quoque erunt, omnia problemata, quæ ex illo ſoluit, & omnes ex illo illationes, qualis eſt ea, quam affert cap. de privatione, ubi aſſerit omnium rerum formas ſibi ipſis præparare internum materiale generationis principium; & affirmat quoque, quod etiamſi actu exiſtant formæ, vel animæ in eodem, quo præparatur

ſubjectam, talem formam, vel animam non integra ex parte dictum ſubjectum informare, quouſque ultimam diſpoſitionis perfectionem conſequatur. Nam tunc, ut inquit, forma ipſa, quæ præparabat, quæque potentiam habebat ſe multiplicandi, actu ſe multiplicat. Quæ quidem Scaligeris, & Sennerti opinio multa admittit non toleranda incommoda. Imprimis enim eſt contra omnem naturalis Philoſophiæ rationem, quod quælibet anima, vel quælibet alia ſubſtantialis forma nondum perfectè præparatæ materiæ adveniat: nam cum ſit ſubſtantialis actus totius, & partium, debet totum, & ejus principales partes ultimam habere diſpoſitionem ad introductionem neceſſariam, tã ex parte extenſionis, quã ex parte debitæ attemperationis, ut ſi fuerit animal, debet habere tria principia, cerebrũ ſcilicet, cor & hepar, & harũ omnium partium debitam attemperationem, & ſic de cæteris. Alias enim quodlibet fieret ex quolibet, quod eſſe impoſsibile lib. 1. de anima probat Ariſtot. imo, ut aliqui ſentiunt, neque per divinam Dei potentiam fieri poteſt, ut aliqua forma in materiam nondum præparatam introducatur, neque ad primum, neque ad ſecundum actum, ut poſteà probabimus. Deinde incidit quoque hæc opi-

Forma ſubſtantialis materiæ; niſi perfectè præparatæ non advenit.

opinio in aliud ſatis apertum inconveniens, quod ſcilicet una & eadem numero forma efficientis, & formalis ejuſdem generationis cõpleat officium. Quod quidem Ariſt. doctrinæ adverſatur, qui 2. l. de gen. an. cap. 1. & 2. de anima tex. 47. manifeſtè aſſerit, nullum vivens ſe generare poſſe, quamvis ſeipſum nutriat, atque ab inebitabili fluxu triplicis ſubſtantiæ ſe reparet. Nam officium nutritivæ animæ informantis & facultatis eſt, formatum, atque jam animatum corpus per aſsiduam alimenti refectionem conſervare. Officium autem generantis eſt per materiæ tranſmutationem novum facere individuum. Ex quibus ſatis manifeſtum eſt, animam actu informantem corporis, quod informat conſervationem molliri: diſpoſitionem vero ad primam ſui introductionem non potuiſſe facere: nam impoſsibile eſt, ut guvernare poſsit materiam, ſive ſubjectum, quod nondum informat. Vnde neceſſarium eſt, ut prima iſta præparatio, non fiat à forma introducenda, ſed potius ab informato individuo ejuſdem ſpeciei, in quo eſt virtus faciendi alterum ſibi ſimile per materiæ non præparatæ ſubſtantialem tranſmutationem eo modo, quo dictum eſt. Ex quibus patet, quam falſus ſit modus multiplicandi animarum ab iſtis auctoribus propoſitus.

Officium animæ informãtis eſt corpus jam animatum, per aſſiduam refectionem alimenti conſervare.

CAPVT II.

Probatur contra Sennertum nec ſemen exire à teſtibus animatum, neque poſſe facere formationem, neque animationem, ejuſque rationes diſſolvuntur.

Epilogus opinionis Sennerti.

VT ſigilatim probat Sennertus unumquodque animarum genus per traductionem, ſive per virtutem, quam habent ſe multiplicandi animas ipſas, propagari, atque produci mediante ſemine, prius aliquot de modo producendi animas, & formandi corpora reprehendit opiniones, & omnino, & tamquam fictitium expellit inſtrumentum ſeparatum à noſtro concollega Sanctacrux propoſitum, ac tandem, tamquam potiſsimum fundamentum ſuæ opinionis probat ſemen eſſe animatum eâdem numero animâ, qua poſteà jam formatus fœtus informatur: ita, ut ſtirpium ſemina in plantis ipſis, ſemina vero hominum, & omnium animalium perfectorum in teſtibus animas per dictam multiplicationem à ſuis generantibus recipere. Et has ſeminum animas fœtuum corpora formare, non quidem, quod ſemen, tamquam ſuppoſitum operetur,

tur,ſed potius animas in ſemine exiſtentis formationis opus facere affirmat. Probat quoque ſemen non eſſe utile excrementum, ſed potius corpus quoddã calido innato ſimile æthereo calore plenum ex propria naturæ intentione productum ad cujuſvis ſpeciei prorogationem. Et quamvis horum omnium falſitas omnibus vere Philoſophis patens ſit, in diſcurſu tamen hujus diſputationis omnia eſſe falſa oſtendemus.

Prius tamen examinare oportet robur earum rationum,quibus ita evidenter probare promittit ſemen eſſe animatum, ut à nullo eorum, qui contrariam tuentur ſententiam diſſolvi poſsint. Caveat tamen Sennertus, ne ipſi, quod mihi contingat: nam cum ego aliquantulum glorioſus eſſem de quaſi extraordinaria fortitudine earum rationum,quibus animalium ſemina à teſtibus animata evadere non poſſe probaveram, ipſe Senn. ita eas vilipendet Hæpom. 4. c. 9. ut dicat omnes eſſe vanas,atque petitiones principiorum. Sed examinemus jam totum probationis genus, quo evidentiam iſtam probare promittit: ſed imprimis oſtendit ſe parum in doctrina Ariſtot. verſatum, cum teſtimonio ejuſdem Ariſtot. probare conetur omnia ſemina animata eſſe: nam, ut nos lib. 2. *Sennertum in doctrina Ariſt. parum verſatum.*

 de

de princ. gen. c. 1. & l. 3. c. 1. confirmatum habemus, tantum abeſt, ut Ariſt. id ſenſerit, ut contrarium evidentibus probet argumentis, quorum aliqua hic repetere volumus, ut videas quam falſæ Ariſtotelem ſuæ ſententiæ teſtem afferat Sen. l. igitur 2. de gen. an. cap. 1. inquit: quodlibet univocum vivens, quod generatur, ac accipit vitam, non poteſt generari, vitamque accipere, niſi à ſemine, ut inſtrumentum generantis, ergo ſi ſemen viveret, vitam accepiſſet ab alio ſemine, & ſic daretur infinitus progreſſus. Deinde in eodem loco, & 2. de anima probat ſemen non eſſe animatum, quia cum ſit utile excrementum, omnino eſt incapax animæ. Propter quam quoque rationem, ut ſuperius vidimus, dixit 2. de gen. cap. 3. animam fœtus non poſſe venire actu in ſemine. Tum prætereà, ut inquit, ſi ſemen generaret, ut animatum, ſeipſum generaret. Quod falſum eſſe hic, & 2. de anima probat: quia ſcilicet, nullum vivens ſeipſum generare poteſt, quamvis ſeipſum nutriat. Concludit tandem, palam eſſe, ſemen non habere actu animam, ſed ipſam habere in potentia activa, id eſt, habere ſemen potentiam activam receptam à generante tranſmutandi, formãdi, & animandi menſtruum, & non ſeipſum: cum ex inſtituto probet nullo mo-

Univocum vivens, non poteſt generari, & vitam accipere, niſi à ſemine, ut inſtrumento generantis.

Semen non habet actu animam, ſed tantũ potentia activa à generante recepta.

modo in materiam fœtus ſemen ingredi. Vnde probat in dicto loco non advenire ſemini virtutem activam generandi, quia eſt animatum, ſed potius, quia eſt inanimatum patris inſtrumentum: nam patrem ſolum generare aſſerit, tamquam cauſam univocam, ſemen vero, tamquam ejus inſtrumentum continens animam non actu, ſed eminenter, eo ſcilicet, modo, quo inſtrumenta artium continent eminenter eas formas artefactorum, quæ ſunt actu in mentibus artificum. Tum prætereà agens Ariſtot. adverſus eos veteres Philoſophos, qui dicebant ſemen deſcendere ad uterum jam animatum, inquit, ſi illud ita eſſet, nullo modo fieri poſſe, ut una coitione plures generarentur fœtus: nam ſi ſemen deſcenderet animatum, eſſet quidem integrum unica forma, ſive anima animatum: unde non poterit, niſi unum fœtum reſultare, ſed multoties unica coitione plures fiunt fœtus: ergo non deſcendit animatum. Ex quibus rationibus, & aliis ex pluribus locis deſumptis ſatis evidenter conſtat Ariſtot. credidiſſe nullo modo ſemen eſſe animatum, ſed ſolum recipiſſe à generante motionem, ſive alterationem quandam, ut inquit, qua mediante communicat illi virtutem formandi, & animandi menſtruum,

ut amplius conſtat ex noſtris de hac re diſputationibus : ubi ſatis aperte explicuimus apparentes quaſdam ejuſdem Ariſt. contradictiones, quibus uſus eſt Sennertus, ut Ariſt. traheret, tamquam teſtem ſuæ falſæ opinionis.

Occultarum rerum judicia, varia eſſe & difficilia.

Sed jam tempus eſt, ut indiſſolubiles illæ rationes examinentur, ut exploremus, in quibus conſiſtat earum tantum robur. Cæterum, cum ita varia, ac difficillia ſint judicia, quæ ab hominibus occultarum rerum fiunt, ut indicāt tot de eadem re ſententiæ, mihi profecto nullo modo propoſitā opinionem hujus viri rationes probare videntur. Nam quamvis prima ratio ſuam vim deſumat ex illo principio Phyſico, quod ſcilicet operari rerum ſequatur eſſe earundem rerum, & cum auctio, nutritio, & formatio ſint actiones vitæ ab aliquo principio vitali, debent neceſſario oriri: quamvis tamen hæc omnia libenter concedamus, negamus vero inde neceſſario ſequi; ſemen oriri à teſtibus animalium vivum, fœtuſque formationem ab ejus anima fieri. Aſſumit enim Sen. propoſitionem dubiam pro certiſsima, atque infalibili: cum nondum ſtatutum ſit inter graviſsimos Philoſophos, quale ſit principium vitale, à quo formatio, & animatio materiæ generationis fiat. Nam

Nondum ſtatutum eſt inter graviſſimos Philoſophos,

Ariſt.

Ariſtot. D. Th. & major Philoſophorum pars dicunt eſſe patrem mediante virtute quadam in ſemine tranſmiſſa, quam, ut inſtrumentum patris animare, & formare menſtruum aſſerũt. Thomas Fienus, quamvis acriter neget ſemen oriri animatum à generante, aſſerit tamen maſſam compactam, atque concoctam ab utero factam ex ſanguine, & ex utroque ſeminẽ animam fœtus tertio die recipere, ipſamque animam ſuæ domus formationem facere. Alii fuerunt, qui immediate à ſolo Deo, vel ab aliquo Angelo fieri dixerunt. Nos autem omnino rejectis his omnibus opinionibus veriorem eſſe exiſtimavimus Scoti, & aliorum opinionem, qui dicunt animam matris mediante facultate generatrice reſidente in utero animare, & formare utrumque ſemen, & ſanguinem eo modo, quo probatum à nobis eſt in noſtris de princ. gen. l. unde manifeſtum eſt, quam à methoda ſit conſequentia, quam Sen. indiſſolubili nexu unitam eſſe antecedenti exiſtimat. Hic quoque ſequitur, quod falſum ſit, quod ſemen quodlibet à ſua propria anima conſervetur: nam non conſervatur, niſi à propria forma, quæcumque illa ſit: tam levem tamen habet vim conſervandi forma ſeminum animalium, ut à levi aëris

quale ſit principium vitale, formationis, & animationis materiæ generationis.

Anima matris, mediante facultate generatrice uteri, utrumque ſemen, & ſanguinẽ menſtruum animat & format.

Forma ſeminum anima-

liam, leviſſimam vim conſervandi habet.

contactu corrumpatur, quod non illi contingeret, ſi vivum eſſet, ut accidit ſeminibus plantarum, quæ quia vivunt, diutius conſervantur. Exemplum autem, quod de plantarum ſemine in confirmationem ſuæ opinionis affert, eſt omnino extra rem: nam, ſi ſequatur ſententiam Ariſt. non ſunt animata ſemina plantarum, ſed ſolum novam producunt plantã mediante virtute ſeminali, &c, ut inſtrumentum principalis plantæ. Si vero noſtram ſequatur opinionem, ſemen plantæ non eſt animatum, ut ſemen, neque novam plantam generat mediante virtute recepta à generante, ut voluit Ariſt. ſed eſt animatum, quia cum animæ plantarum ſint diviſibiles, quando ſæparatur à planta, ſecum affert partem animæ ipſius plantæ, quod non ſolum ſemini, ſed reliquis omnibus ejuſdem plantæ accidit partibus. Vnde productio novæ plantæ ex ſemine, non eſt nova generatio, ſed nova arboris formatio facta per nutritionem, & minime per novam generationem, ſive animationem, eodem modo, ac acreſcit nova arbor, ex ramo, vel ex radice, vel ex inſertione. Nam, ut latius explicatum à nobis eſt lib. 2. de princ. gen. tanta eſt hujus vegetativæ animæ imperfectio, ut in qualibet parte per certum temporis ſpatium con-

Semen plantæ, non eſt animatum, ut ſemen, ſed ut pars plantæ.

Productio novæ plantæ ex ſemine, non eſt nova generatio.

conſervari poſsit, multumq́ue differat in novorum individuorum productione, ab animalium generandi modo, ut latius à nobis eſt probatum. Et ideo impertinens omnino eſt velle probare modum generationis animalium ex modo, quo nova planta producitur. Nam ſtirpium animæ multiplicantur per veram diviſionem, ut poſteà probabimus: quod nullo modo contingere poteſt perfectorum animalium animis, ut dicemus. Neque ſuam opinionem confirmat Sen. cum aſſerit nullum poſſe inveniri agens, quod conjunctum poſsit eſſe cum materia conformanda præter animam ſeminis. Et quamvis hujus rei falſitatem probatam habeamus, eandem poſteà amplius in tuam gratiam confirmare tentabimus.

Stirpium animæ multiplicantur per veram diviſionem.

Neque ſecundum argumentum aliquam habet vim, qua probari poſsit ſemen à teſtibus exire animatum. Sic enim arguit: quidquid generat debet genito communicare totam ſuam eſſentiam ſecundum materiam, & formam immediate, & dum actu generat, cum ad hāc ſimilitudinem non ſufficiat ſolum exhibere materiam: nam cum generans poſt exhibitionem materiæ, loco, & tempore generationis ſit abſens, impoſsibile eſt, ut poſsit exhibere animam. Vnde neceſſarium eſt con-

Principium in quo fundat Sennertus ſecundam rationem, qua ad ſuam probandam concluſionem

habet vim immediatè tranſmutandi,ac diſponendi materiam, eſſe auctorem productionis novæ animæ, ſive faciat hoc, tamquam inſtrumentum principalis generantis: nam hoc non tollit eſſe generationem univocam, ut ex Ariſtot. diximus: Veriſsimam tamen omnium eſſe noſtram credimus ſententiam,matrem ſcilicet habentem in ſuo gremio generationis materiam cenſemus habere vim ſubſtantialiter commutandi,temperandi, organizandi,& animandi eandem generationis materiam. Quod quidem ſatis eſt, ut individuum, quod generatur, ſit ſimile in ſpecie generanti. Quæ quidem omnia nullo modo fieri poſſunt à ſemine habente animam, ut recte probat Ariſt.

Illo agenti, quod transmutandi, & diſponendi materiam, vim habet.

Tertium argumentum eſt adverſus eos, qui dicunt ſemen non eſſe animatum, generare tamen poſſe fatentur mediante virtute accidentali, quæ operetur, tamquam inſtrumentum generantis: inquit vero Sen.inde ſequi quod inanimatum generet animatum, quod eſſe impoſsibile videtur. Hanc tamen objectionem ipſi ſolvunt dicentes nullum ſequi inconveniens, ſi res inanimata non operetur, ut cauſa principalis, ſed, ut inſtrumentum ejuſdem cauſæ principalis. Nos vero verius reſpondemus: nempe non poſſe fieri à ſemine

Tertium argumẽtum Sennerti, ſi aliquam vim habet, eſt ſolum contra eos, qui exiſtimãt ſemen inanimatum, virtute accidentali animatum producere.

animato, neque inanimato, ſed potius à fæmina eo modo, quo à nobis probatum eſt, & deinceps fortius confirmabimus. Ex quibus patet, quam invalidæ ſint rationes, quibus probare tentat ſemina animalium à teſtibus exire animata, & materiam propriam diſponere, ſive organizare.

CAPVT III.

Quod aliqua genera animarum dividantur ad corporis diviſionem contra Sennertum: & quomodo ad viventium partes, quæ per nutritionem quotidie augentur, anima diffundatur, ſive extendatur: & quomodo animam totam eſſe in toto, & totam in qualibet totius parte dicatur.

VT autem Sennertus rationali via probet omnium animarum novum augmentum fieri per traductionem, ſive per multiplicationem factam in ſemine, doctrinam quandam, tamquam veriſsimam ſupponit, quamvis ejus falſitas ita patens ſit ſenſibus externis, ut nullus, niſi cæcus ſit, ipſam poſsit negare. Aſſerit igitur, nullam animam dividi poſſe, neque per ſe, neque per accidens, quia neque eſt quanta, neque habet par-

Falſum eſt fundamentũ Sennerti, ex quo

partem extra partem. Cæterum antequam hujus propoſitionis falſitatem oſtendamus: oportet prius nos ſecundum noſtram opinionem explicare duo quæſita, quæ ad ſuam mentem, & in directionem ſuarum opinionum explicat Sen. Primo igitur quærit, quomodo in corporis animalium augmentatione partes corporis, quæ noviter augentur, animam recipiant. Secundo quærit, quomodo anima dicatur totum, & in quo ſenſu illud accipiatur, & quomodo hoc totum integrum manens multiplicet aliud totum. Primam dubitationem ſoluit dicens animam per totam vitam manere eamdem numero, & ad novam materiam informandam ſe difundere, nihil veteris ſubjecti deſerendo, ita ut, etiamſi anima generantis animam ſeminis multiplicet, in ſua maneat integritate. Ex quibus patere inquit, rectius dici animam multiplicari, quam dividi. Vt primam igitur dubitationem, in qua quærit Senn. quomodo eæ partes, quæ per nutritionem quotidie in viventibus augentur, ab anima totius informentur, ſolvamus, advertere oportet triplex eſſe genus animarum: aliæ enim ſunt mere ſpirituales, & aliæ mere materiales, quæ in duplici ſunt differentia: nam aliæ harum ita imperfectæ ſunt, ut eo modo,

colligit, nullam animam, neque per ſe, neque per accidens poſſe dividi.

Animarũ genus triplex.

quo corpora ex partibus eterogeneis componuntur, ſic & animæ partes in modo informandi eterogeneitatem ſervẽt: ut ſunt animæ plantarum, & inſectorum: diſtincta enim accidentaliter eſt ea pars animæ ejuſdem plantæ, quæ informat corticem, ab ea, quæ informat medullam, vel frondem. Idem quoque contingit animabus inſectorum animalium. Aliæ vero ſunt animæ, quæ etiamſi materiales ſint, naturam ſervent in informandi modo veluti ſimilarem. Anima igitur rationalis, illico, atque ea pars, quæ per nutritionem augetur, ultimam recepit diſpoſitionem, ſuo naturali impetu ad ipſam informandam ſe diffundit, quæ quidem diffuſio intra certos clauditur terminos: unde fit, ut ſi majorem partium molem, quam eis ſecundum ſuam propriam naturam convenit, informent, debilius agant. Huic animæ aſsimilantur omnes animæ materiales perfectorum animantium in ſe diffundendi modo ad partes de novo acquiſitas, cùm integra ex parte fuerint diſpoſitæ. Vnde nos ad hoc quæſitum cum diſtinctione reſpondemus: nam in his imperfectis viventibus, in quibus partes formæ ſubſtantialis in informando ſervant aliquam diſsimilitudinem, cum partibus materialibus dividuntur formæ, ut in

In parte, qua per nutritionem augetur, cum primum ultimam habet diſpoſitionem, ad eam informãdam anima rationalis ſe diffundit.

in plantis,& anuloſis animalibus fit. Quemadmodum igitur per diviſionem ſeparantur partes formæ à tota forma, ac eo modo deperduntur ſimul cum partibus materialibus correſpondentibus formæ partibus: ſic quando loco partium materialium deperditarum, aliæ ſubcreſcunt, ſimul cum ipſis partes quoque formæ ſubſtantialis de novo ex poteſtate materiæ à facultate concoctrice, & nutrice educuntur loco earum, quæ deperditæ fuerant. Nam cum ea pars totius formæ ſubſtantialis, verbi gratia, quæ arboris medullam informat, non ſit apta informare corticem, ideo ſi cortex deperdatur cum parte correſpondente formæ, neceſſarium eſt, ut cum cortex reſtituitur ſecundum materiam, reſtauretur quoque ſecundum formam ſubſtantialem. Ex quibus manet probatum, quod quotieſcumque in his viventibus partes materiales augentur, ſimul quoque augeantur partes formæ ipſis correſpondentes, quemadmodum in diminutione partium materialium, partes quoque imminuuntur formarum. Partes vero eorum animalium, quorum animæ nec momento temporis abſque materiali debita diſpoſitione perſeverant, ſi augeantur à totius anima veluti ad propriam materiam diffuſa informantur. Quod

In quibus viventibus, ſimul cum partibus materialibus, partes formæ ſubſtantialis, augentur.

 qui-

quidem propriè animæ rationali convenit, quia hæc ſola vere eſt ſpiritualis, atque indiviſibilis: nec id mirum videri oportet, cum rebus vita carentibus idem naturali quodam impetu accidere videamus: forma enim ſubſtantialis ignis contrario ſuo naturali motu ad informandam ſibi diſpoſitam materiam deſcendit. Et quemadmodum in hoc caſu non movetur ſola forma, ſed totum compoſitum: ſic quando anima novas partes materiæ auctæ per nutritionem informat, non movetur ſola ſed partes totius informatæ extenduntur.

Vt ad ſecundum quæſitum reſpondeamus, oportet prius advertere eſſe impropriam locutionem dicere abſolute animam eſſe totum, cum ſi materialis ſit, numquam exiſtat, niſi ut altera compoſiti pars; imo quamvis anima perfectior pars compoſiti ſit, perfectius eſt totum compoſitum ipſa anima, quia compoſitum præter perfectionem animæ, includit quoque materiæ perfectionem, & operationum exercitium, quæ duo non includuntur in animæ natura. Impropria quoque locutio eſt dicere animam replere corpus, cum potius dici debeat animam ſimul cum materia ſubſtantialiter componere corpus ani-

Anima ſimul cum ma-

ma-

matum. Nec eſt propria ſimilitudo Dei replentis univerſum, & animæ replentis corpus: cum valde diſtinctus ſit modus exiſtendi Dei in univerſo, ac modus exiſtendi animæ in toto, ut conſtat.

teria: ſubſtantialiter, corpus animatum componit.

Duobus autem modis dici poteſt totam animam eſſe in toto, & totam in qualibet ejus parte: nempe vel ſecundum eſſe poteſtativum, vel ſecundum eſſe eſſentiale. Hoc ultimo modo, non ſolum animæ rationali, ſed & omnibus formis, tam ſubſtantialibus, quam accidentalibus convenit eſſe totas in toto, & totas in qualibet parte totius: nam albedo, verbi gratia, ita habet ſua prædicata eſſentialia in minima parte corporis albi, ac in toto corpore albo. Sic quoque cuicumque contingit animæ, & cuicumque alii formæ ſubſtantiali. Quod vero quælibet anima ſit tota in toto corpore animato, & in quacumque ejuſdem corporis parte, ex animæ difinitione conſtat: nam cum ſit actus primus, & ſubſtantialis corporis phyſici organizati, fieri non poteſt, ut ſit aliqua pars in corpore animato, in qua non inveniatur anima ſecundum integram ſuam eſſentiam. Advertere tamen oportet, quod inveniatur aliquod diſcrimen inter modum denominandi formarum non viventium, & animarum. Nam

Duobus modis dici poteſt; totam animam eſſe in toto, & totam in qualibet ejus parte.

Ex difinitione animæ conſtat: quod ſit tota in toto, & tota in qualibet parte.

ani-

animæ non habent denominationem per ſe; & ſimpliciter, niſi ab integro toto, quatenus eſt compoſitum ex partibus organicis: unaquæque enim animarum requirit totum dicto modo diſpoſitum indiviſibiliter, tamquam adæquatum perfectibile, quia toti & nō ſingulæ proportionatur parti: unde ex accidenti ſunt omnes animæ per quantitatem extenſæ ad partes totius, in quibus non ſunt ſimpliciter, ſed diminutè, ſecundario, ac veluti ſecundum quid: ideoque fit, ut animæ non ſint ita perfectæ in parte ac in toto, & eæ, quæ perfectæ ſunt, non poſsint conſervari, niſi in toto. Secus vero ſe habent formæ inanimatorum: nam in quavis parte totius æquali perfectione informant, & in quavis eadem perfectione, ac in toto conſervantur: æqualiter namque parti, & toti proportionari ſolum convenit formis eorum, quæ omogenea ſunt. Vnde fit, ut ita perfecta conſervetur forma auri, verbi gratia, in centeſima unciæ parte, ac in mille libris: propterquam cauſam contingit, ut formæ extenſæ, ut formæ ignis, dum in majori materiæ mole ſive quantitate ſint, majorem ac robuſtiorem ad operandum obtineant vim. Ex dictis igitur conſtat, quod licet formæ inanimatorum ſubſtantialium, & for-

Formæ inanimatorum, æquali perfectione informant totum, & quamlibet ejus partem, animatorum non ita.

formæ accidentalium, ut albedo ſint totæ in toto, & totæ in qualibet parte ſecundum totam ſuam eſſentiam: non vero ſunt eo modo, quo ſunt animæ: nam illæ ſunt in parte ita perfectæ ac in toto, id eſt ita perfectè informant partem, ac totum: animæ autem, ut dictum eſt, contrarium accidit.

Quatenus vero quælibet anima eſt totũ quoddam poteſtativum, id eſt quatenus diverſas habet organicas operandi potentias, non eſt tota in toto & tota in qualibet organo: aliter enim eodem modo operaretur in oculo, ac in jecore. Quapropter anima etiam rationalis, quo admodum operandi aliter ſe habet in corde, atque in cerebro, & ſic dicendum eſt de cæteris.

Quemadmodum operandi anima rationalis aliter ſe habet in corde, atque in cerebro.

Deinde, quod aliquæ animæ ad diviſionem materiæ dividantur adeò certum eſt, ut id negare nihil aliud ſit quam ſenſibus ipſis adverſari. Quod quidẽ variis experimentis confirmat Ariſt. lib. 1. de anima. Sed ut hanc veritatem ex naturali radice confirmemus, conſiderare oportet triplex in univerſum inveniri formarum ſubſtantialium genus, quorum infimum non viventium, ut elementorum, metalorum, lapidum, & ſimilium eſt. Quod quidem formarum genus mere eſt naturale, ac materiale: tantam enim affinitatem hujuſ-

Triplex in univerſum formarũ ſubſtantialium genus invenitur.

E modi

modi formæ cum materia, quam informant habent, ut & ipſæ materia eſſe videantur, cum nullam habeant ſupra ipſam elevationem. Quapropter etiamſi quantæ propriè non ſint, ſunt tamen ſimpliciter diviſibiles ad quanti diviſionem. Nam ſi ex ſua natura non eſſent ſimul cum quantitate diviſibiles, tenderét per diviſionem ad corruptionem. Quod quidem non eis accidit, cum tamdiu conſervatur forma argenti in pauca, ac in multa mole. Solũ enim his formis per partitionem evenit, ut, quod erat unum numero actu, & in potentia plura, plura numero actu fiant. Contrarium dicto formarum generi eſt id, quod nec ſecundum ſuam eſſentiam, nec ſecundum ſuam propriam operationem à materia dependet, ita ut ad Angelicam naturam appropinquet: eſt denique hoc formarũ genus omnino ſpirituale, quamvis ſit materiæ humanę naturalis forma. Vnde fit, ut neque per ſe, neque per accidens ſit diviſibile hoc formarum genus, nõ ut eſt indiviſibilis punctus, ſed ut eſt indiviſibilis & invariabilis Angelus quatenus ſcilicet oponitur corpori, & eſt incapax quantitatis. Tertium formarum genus invenitur in naturalium rerum univerſitate, quod mediam ſervat naturam inter duo extrema, quia ſci-

Quid per partitionẽ formis advenit.

Anima rationalis quomodo indiviſibilis ſit.

ſcilicet altius elevatur ſupra materiam, quam primum, & amplius compræhenditur ab eadem materia, ab eaque amplectitur, quam ſecundum. Hoc quoque animarum genus duplex eſt : dividitur enim in vegetativum, & in ſenſitivum, & hoc etiam in inſectorum, & animalium perfectorum genus ſecatur. Hæc omnia animarum genera eſſe diviſibilia ad diviſionem corporum, partim ſola probat ratio, partim ſimul cum ratione cõfirmat experientia. Nam cum ratio, propterquam diximus, animam rationalem impartibilem, ac invariabilem eſſe, ſit, quia immediatam ejus originem, ut dicemus, habet à Deo, ſpiritualiſque creatur: neceſſarium eſt, ut reliquæ omnes animę, quæ ab agente corporeo producuntur, & talem habent à materia dependentiam, ut ſimul cum ea corrumpantur, & ejus quantitate menſurentur, ſint diviſibiles ad diviſionem quantitatis : nam quidquid ex ſua origine eſt materiale diſponitur, atque afficitur ad affectionem recipientis corporis. Vnde quamvis animæ corporeæ non ſint, nec ex ſua natura quantæ, quia tamen à ſubſtantia corporea fiunt, à materiaque recipiuntur, ideoque materiales vere dicuntur, ex accidenti ad diviſionem corporis quanti ipſæ quoque dividuntur.

Genus animarũ in ſenſitivum; in inſectorũ, & perfectorum animalium dividitur.

Diſcrimē quod in modo diviſionis animarum obſervatur.

Obſervare tamen oportet diſcrimina, quæ in harum animarum dividendi modo obſervantur. Eæ enim, quæ ita imperfectæ ſunt, ut parum à naturalium formarū natura differre videantur, quales ſunt ſtirpium animæ; multa ſervant in diviſione ipſarum, quæ formæ non viventium ſervare diximus. Nam cum plantæ immediate ex inanimatis fiant corporibus, ex elementis ſcilicet, (ut inquit Ariſt.l.8. de hiſt.an. c.1.) adeo de inanimatis paulatim, ſenſimque ad animata tranſit ipſa natura, ut continuatione ipſa lateat eorum confinium, & medium, utriuſnam ſit extremi. Tantam enim ſimilitudinem ſervant plantæ cum iis, quæ antea erant, ut magis accedere ad naturam non viventium, quam ad naturam perfectorum viventium, videantur. Quapropter partes plantæ cum ſeparantur à planta, ita ſecum trahunt partes animæ ejuſdem plantæ, ut ſi commodis locis apponantur, ita accreſcant, ut fructum ferāt. Vnde certum eſt in illis partibus à tota planta ſeparatis partē animæ manſiſſe: fictitium enim eſt quod in quavis corporis plantæ parte prompta ad ſit virtus ſeminalis à qua nova anima in parte abſciſſa producatur, ut ſomniare videtur Sennertus. Quapropter neceſſarium eſt cum Ariſt. & ſine controverſia

verſia fateri, partes animæ plantæ dividi cum partibus materialibus ejuſdem plantę. Tantam enim habent imperfectionem tales animæ, ut ſatis ſit illa ramorum quantitas, ut per aliquod tempus in ea conſerventur, & aliam arborem facere per nutritionem poſsint. Et etiamſi plantarum animæ cum formis non viventium conveniant in potentia diviſibilitatis, & in eo, quod in una plantæ parte poſsint conſervari: differunt tamen, quod formæ non viventium ita perfectè conſerventur in parte, quam in toto: ſtirpium vero animatæ partes, niſi terræ bene diſpoſitæ affigantur, indies in corruptionem tendunt, quod ipſis contingit propter nutritionis neceſsitatem: ſic quoque manifeſtum externis ſenſibus eſt, quod inſectorum animalium animæ diviſibiles ſint, ut animæ plantarum; differunt tamen à partibus plantarum: nam quamvis lacertorum, & aliorum inſectorum partes ſeparatæ vivant, ſentiant, moveantur; &, ut inquit Ariſt. lib. 1. de anima, appetitum ſenſitivum habeant: non valent tamen harum animarum fruſtra aliud animal formare, ut plantarum ſeparatas partes facere diximus; imo inſectorum partes diviſæ breviter moriuntur: nam cum horum animæ non modo contineant gradum vege-

tativum, ſed & ſenſitivum quoque habeant, majori, atque perfectiori organorum fabrica ad ſui conſervationem indigent, quam plantæ. Et hæc eſt quoque ratio, quare perfectorum animalium ſeparatæ partes, nec temporis momento vivant, moriuntur enim illico ac cordis influxu priventur. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quam falſa ſint ea fundamenta, quæ Senn. ad confirmationem ſuarum opinionum præſupponit. Conſtat enim animas omnes materiales eſſe diviſibiles ad diviſionem quantitatis, vel occulte, ut in brutis animantibus, vel conſpicuè, ut in anuloſis, & in plantis, & plantarum animas, per diviſionem, & non per traductionem, ut vult Senn. multiplicari: quemadmodum reliquas omnes materiales animas per generationem fieri.

CAPVT IV.

Quod nulla ſit tam abjecta anima, quæ ad primam ſui introductionem non requirat corpus phyſicum, & organicum: & Sennerti rationes, quibus contrarium probare nititur, diſſolvuntur.

POſt ea, quę in capite ſuperiori caſtigavimus, aliud ſtatuit Senn. fundamentum cui nititur ſuarum opinionum robur, atque pondus, illudque ita verum eſſe exiſtimat, ut facili indigeat probatione. Imprimis igitur primam animæ definitionem traditam ab Ariſt. 2. l. de anima falſam eſſe aſſerit: in hoc enim cum Thoma Fieno & aliis convenit: nam ambo hi viri dicunt particulam illam (corporis organici) tollendam eſſe à definitione, ita, ut ſolum dicere debeamus, animam eſſe primum actum phyſici corporis. Nam prius tempore introduci animam dicunt ad primum, quam ad ſecundum actum deveniat. Vnde introduci animam in corpus phyſicum dicunt, deinde vero ipſammet animā ſuæ conſervationis inſtrumenta, ſive organa facere. Cæterum etiamſi hanc doctrinam falſam; & ab omni philoſophia alienam eſſe,

In quo Sennerti opinio cum Fieni opinione convenit.

eſſe, & neceſſariam eſſe in animæ definitione particulam illam (organici) contra Fienum in 3. lib. de princ. gen. cap. 18. & 19. probatum habeamus: nunc iterum idem confirmare in tuam gratiam tentare volumus. Ibi igitur fortiſsimis confirmavimus rationibus, nullam animam uniri poſſe ei corpori, quod non habeat eas omnes diſpoſitiones, tam ex parte extenſionis, quam ex parte attemperationis, quæ ad conſervationem dictæ unionis ſunt neceſſariæ. Nam ea omnia, quæ propter unionem fiunt, debent ipſam præcedere: fruſtra enim uniretur, ſi unita conſervari non poſsit. Quapropter naturaliter repugnat legi unionis, non modo animæ, ſed cujuſvis formæ ſubſtantialis, ſine diſpoſitionibus ipſam conſervantibus uniri, ſed nullo modo conſervatur unio, non ſolum animæ rationalis, ſed animarum perfectorum brutorũ ſine cordis, hepatis, & cerebri actionibus, ut conſtat: igitur, ut dictarum animarum fiat unio, neceſſario præcedere debet generatio cerebri, cordis, & hepatis. Ceſſante enim harum cujuſlibet partis actione, illico corrumpitur unio: ergo, neque incipere ſine his actionibus potuit. Vnde recte ſequitur, quod perfectiſsima ſit animæ definitio ab Ariſt. inventa: nempe anima eſt actus cor-

In animæ diffinitione particula (organici) neceſſaria eſt.

Perfectorum animantium animæ, cum materia unio ſine his quæ ſunt propter eam neceſſaria conſervari non poteſt.

corporis phyſici, & organici poteſtate vitam habentis. Nam, ut eo cap. probat, impoſsibile eſt, ut quodlibet corpus ſit capax animæ, cum non poſſit eſſe actus corporis mathematici, nec artificialis, nec cujuſvis phyſici, ſed phyſici, & organici, nec cujuſcumque organici: nam, cum non ſit una tantum ſpecies animarum, non erit quodlibet genus organorum cuilibet animarum generi accommodatum, ut teſtatur Ariſt. l. 8. Met. ubi probat, qualitatem, ſive diſpoſitionem materiæ debere eſſe juxta conditionem cujuſlibet formæ, ſeu animæ. Ita abjectiſsima anima, qualis eſt ſtirpium forma, imperfectiſsima formatione contenta eſt: perfectiſsima vero omnium formarum, qualis eſt rationalis anima, ad primam requirit unionem temperatū ad humanæ naturæ conditionem, & ad proportionē ſuæ perfectionis requirit corpus, ita ut ſuas præſtantiſsimas omnium animarum exercere poſsit actiones, propriaque munia obire. Quod Ariſtot. lib. 2. de anima brevibus, atque ſententioſis verbis probat dicens: Si talis actus eſt, talis corporis debet eſſe actus. Et poſteà probat talem actum uniri nō poſſe, niſi tali corpori, quia actus agentium uniri nequit, niſi corpori debitus ſuæ naturæ diſpoſitionibus prius adornato. Et

Qualis natura & conditio actus, talis diſpoſitio corporis eſſe debet.

etiamſi verum ſit, quod quando dixit Ariſt. animam eſſe primum actum, debeat intelligi de ſolo primo actu, dare enim corpori ſubſtantialem vitam eſt vera animæ eſſentia, & ut inquit, ſimilis eſt iſte actus ſcientiæ contemplatione vacanti: hoc tamen ſolum intelligitur de prioritate naturæ. Nam ſimul tempore eſt dare vitam ſubſtantialem, hoc eſt animare corpus, & vitæ munia ad conſervationem unionis obire. Quod verum eſſe in eadem diffinitione expreſsit Ariſtot. cum dixit eſſe actum primum ejus corporis, quod non ſolum habeat eſſe phyſicum, ſed etiam organicum, & vivendi potentiam, hoc eſt, quod tale corpus talem debeat habere diſpoſitionem, ut in eodem temporis inſtanti, in quo recipit animam, ad ſecundum tranſeat actum, ſaltem ad eas actiones, ad quas non habeat impedimentum, ad eas ſcilicet, quæ ſunt primum vitæ fundamentum. Cum enim actus primus, ſolum fiat propter ſecundum, numquam permittit natura unionem ſine neceſſaria diſpoſitione ad ſecundum; nam hæc eſt utilitas, & ultima perfectio primi actus. Et hinc eſt, quod cogit Ariſt. lib. 2. de cælo textu 17. probare nullam rem creatam habere eſſe propter ſe, hoc eſt, habere eſſe propter ſolum illud eſſe, ſed habere

Animare corpus & vitæ munia ad conſervationem obire tempore ſunt ſimul.

Natura propter quod non permittit unionem actus primi ſine neceſſaria diſpoſitione ad ſecundũ.

bere eſſe propter ſuam operationem,quæ quidem operatio , quamvis ſit ſecum darius effectus , eſt tamen potiſsimus , prioriq́ue utilior, unde fit , ut nullius rei creatæ eſſe nec momẽto temporis ſine organorum actione exiſtere poſsit. Ex quo etiam naſcitur,ut idem Ariſt.in libris Ethicorum probet noſtram beatitudinem, ac fælicitatem non conſiſtere in actu primo , ſed in ſecundo. Vnde anima non unitur corpori,ut illi hanc,aut illam naturam tribuat , ſitque ſicut ſcientia ſine actione , ſed ut ſit ſcientia,quę illico ad contemplationem inſurgat. Quod quidem verum eſſe ſecunda probat animæ diffinitio , cum dixit Ariſtot. animam eſſe principium vivendi, loco movendi, & intelligendi. Quæ quidem diffinitio,& eſt eſſentialis, & eſt primæ diffinitionis interpretatio. Quaſi dicat Ariſtot. animæ eſſentiam eſſe, ut ſit primus actus corporis ita diſpoſiti , ut ſimul recipere poſsit primum & ſecundum actum, actum ſcilicet vivendi, ut in plantis, & actum vivendi, & loco movendi, ut in brutis , vel ſimul vivendi, loco movendi, & intelligendi , ut in hominibus. Recte enim Cajetanus dixit, quod quamvis frequentius verba illa, quo vivimus,ſentimus,& intelligimus, pro ſecundo actu intelligantur : rectius tamen, atque pro-

Animæ ſecunda diffinitio eſſentialis eſt, & interpretatio prima.

fundius ſumi debere pro ſubſtantiali vita, id eſt, pro ipſius animę eſſentia, quę eſt ratio, qua primo iſta opera exercentur. Quare concludimus adverſus Senn. dicentes cum Ariſt. & aliis doctiſsimis viris animam non poſſe naturali via materiæ uniri, quæ non habeat ſufficientem attemperationem, & extenſionem, ut in eodem temporis inſtanti vitæ actiones exercere poſsit. Quod declaravit Ariſt. lib. 2. de anima dicens: Quapropter anima primus eſt actus, perfectioque corporis naturalis potentia vitam habentis, & talis plane, ut partes ipſius ſint vitæ inſtrumenta. Enim vero partes quoque plantarum inſtrumenta ſine controverſia ſunt, quamvis videantur ſimplices eſſe, &c. in quo loco adeo eſſe manifeſtum aſſerit, quod animæ corpus ita inſtrumentis indigeat, ut poſsit ei uniri, ut neque plantarum animas conſervari poſſe dicat ſine vitæ inſtrumentis, etiamſi ita imperfectæ ſint, ut ad naturalium formarum imperfectionem accedere videantur. Eſt etenim plantarum natura naturis elementorum valde proxima.

Anima quomodo materiæ naturali via unitur.

Plantarum natura naturis elemẽtorum valde proxima.

Cæterum quamvis animarum unio ſimul tempore fiat penes primum, & ſecundum actum: non tamen eſt neceſſarium, ut continue anima operetur ſecundum omnes ſuas potentias. In hoc enim diſtin-

diſtinguntur formæ naturales ab animabus, quod illæ, cum ſint conſtitutæ in infimo gradu formarum ſubſtantialium, ad unum tantummodo determinantur, ideoque ex neceſsitate naturæ incontinua ſunt operatione, in actu ſcilicet ſecundo, in eſſeque quieto. Nulla vero animarum, tam eſt abjecta, atque infimæ ſortis, quæ in exercitio diverſarum ſuarum actionum nō habeat aliquod libertatis veſtigium operandi, aut ab opere quieſcendi. Hæc tamen operandi, vel non operandi libertas magis conſpicua cernitur, in omnium perfectiſsimo gradu, in gradu ſcilicet intelligendi: nam, neque in omni ætate, neque cum omni cerebri diſpoſitione operari poteſt. Deinde vero manifeſta quoque eſt in gradu ſenſitivo. In vegetativo autem gradu tanto minor eſt libertas operandi, aut non operandi, quantum hic omnium animarum gradus ad formarum naturalium proprietates magis accedit. Quod omnibus viventibus commune eſt. Nam cum hic vivendi gradus ſit primum fundamentum, primaque baſis reliquorum omnium graduum vitæ æqualiter omnibus viventibus eſt neceſſarius ab intraductione animæ, uſque ad ultimum vitæ: ita, ut impoſsibile ſit ſubſtantialem, primamque vitam ſine ſecun-

Nulla eſt anima tam infima ſortis quæ in exercitio diverſarum operationũ, aliquid libertatis non habeat.

da conſervari. Vnde fit,ut ita continue vivens nutriri debeat, ut vita per nutritionem diffiniatur. Quaſi ablata nutritionis continuitate, vitæ perſeverantia ceſſet. Quapropter Ariſt.lib.2.de anima cap.4. cogitur dicere nullum corpus vivens poſſe alimento privatum eſſe. Dicetur tamen gradus vegetativus libertatem aliquam habere, quia non ſemper generat, neque ſemper auget, etiamſi nutriri vivens, dum vita fruitur, ſit neceſſe. Falſum enim eſt dicere, ſemina, ut aliæ plantarum partes non nutriri, dum animam habent. Habent namque partem humiditatis excrementitiæ, ex qua nutriantur, ut contingit iis animantibus, quæ toto brumæ tempore in ſpeluncis, ac terræ hiatibus degunt: nam, & in his non diſcontinuatur nutritio. Ex accumulatis enim crudis humoribus nutriuntur. Ex quibus omnibus,& ex iis,quæ in lib. de princ. gen. diximus, ſatis probatum manet ſecundum rectam rationem,& ſecundum Ariſt. doctrinã nullo modo poſſe ſeparari tempore actum ſecundum animarum ab earumdem actu primo, ſaltem is actus, qui eſt communis omnibus viventibus, eſtque primum fundamentum, primaque baſis eorum, nutriendi ſcilicet actio, ut dictum. Et ex conſequenti penitus manet exploſa

Semina & partes plantarũ dum animam habent, ex humiditate excrementitia nutriuntur.

ea

ea depravata opinio, quam ſtabilire conatur Sen. de animatione ſeminis in animantium teſtibus.

Senn. vero, & Fienus ſophiſticis quibuſdam rationibus animam non indigere organis ad unionem probare conantur. Dicunt etenim animas non requirere ad unionem partium quantitates, figuras, numerum, ſitum, &c. quia cum formæ non ſint quantæ, non indigent ad unionem cum corpore quantitate, neque ejus proprietatibus. Reſpondemus tamen omnes formas ſubſtantiales immediate recipi in materia prima mediante quantitate: nam ſolum mediante quantitate capax efficitur formarum ipſa materia. Vnde falſum eſt, quod formæ quantitatem renuant. Si vero loquantur de materiæ quantæ debita extenſione, ignorant, quid dicunt: nam quamvis formæ, præſertim animæ, nullam in ſua eſſentia includant quantitatem, talem tamen obtinent naturam, ac inſitam proprietatem, ut uniri nequeant, niſi materia ita ſit extenſa, & attemperata, ut ei unitæ exercere poſsint neceſſarias ad unionis conſervationem actiones. Non vero requirit ad unionem, hanc, vel illam corporis proceritatem, aut figuram, quæ pro materiæ ubertate, aut deffectu, pro virium robore, aut debilitate corporibus poterunt-

Omnes formæ ſubſtantiales in materia prima mediante quantitate recipiuntur.

Quemadmodũ plantæ ad conſervationem vitæ ſolum radicibus, vel aliis viis indigent, ita hominis anima hepar cum venis, cor cum arteriis, & cerebrum cum nervis ad unionem cum materia expoſcit.

runt evenire. Vnde quemadmodum plantæ ad conſervationem vitæ ſolum indigent radicibus, vel aliis viis, mediis, quibus nutriri queant, & non quantitatem, aut figuras, vel numero, ramorum, eorumque extenſionem ad vitæ conſervationem expoſcunt: ſic hominis anima ad unionem ſolum indiget hepate cum venis, corde cum arteriis, & cerebro cum nervis: reliquas vero quantitatis proprietates ſolum animæ deſerviunt ad felicius vivendum, & ſic dicendum eſt de cæteris.

Anima omnes partes equaliter informat.

Dicunt præterea animam primo, & per ſe partes ſimilares, & organa ſecundario informare. Quod quidem falſum eſt: nam cum anima ſit primus actus ſubſtantialis totius, & partium, primo, & per ſe, ſimulque materiam primam debite attemperatam, atque extenſam, ſive organizatam informat, & non hanc partem propter illam, ſed omnes equaliter propter actiones, potiſsime tamen organicas.

Deinde ad illud argumentum, quo Scotus probat ſemen non poſſe eſſe principium efficiens formationis, quia inde ſequeretur idem ſeipſum corrumpere, cujus argumenti vim irrefragabilem eſſe ex Fieno aſſerit Carranza, ipſe Sennertus facile reſpondet dicens generationem non promanare

nare proprie à toto ſuppoſito, ſed potiùs ab anima in ſemine exiſtente: in qua reſponſione multa ſupponit ab omni ratione naturali aliena: nam cum antea dixerit, ſemen canis, verbi gratia, ita informatum eſſe anima canina, ut venator canis eſt, neceſſario concedere debet omnes actiones corporales, qualis eſt generatio, à toto debere oriri, ut quod agit, ab anima vero informante naſci debere, tamquam à principio, quo, & tamquam ab origine omnium actionũ. Quæ quidem doctrina veriſsima eſt, ipſamque confirmat Ariſt. fortiſsimis rationibus lib. 1. de anima. Ibi enim repræhendit quoſdam Philoſophos, qui actiones eas, quæ ab anima & corpore fiunt, ſine ſubjecto corporeo diffinire, atque explicare audebant: nam cum ita dependeant à materia, ut ad mutationem ejuſdem materiæ, ſive ſubjecti, & ipſæ quoque mutentur, neceſſario fatendum eſt, tales actiones à ſubjecto animato fieri, & non à ſola anima. Poſſuit vero Ariſt. exemplum in ira, & in aliis ſimilibus animæ paſsionibus, quæ quidē paſsiones pro mutatione corporis, vel tolluntur, vel imminuuntur, vel depravatè fiunt, vel ſecundum rectam rationem exercentur. Et idem dicendum eſt de coctione, nutritione, generatione, & de aliis. Vnde,

Actiones quæ per organa corporea exercentur, ita à materia dependēt, ut ad mutationem ſubjecti, & ipſæ neceſſariò mutentur.

Vnica eſt actio in rerum natura, quæ ab anima ſine organo corporeo fieri poteſt.

ut probat in eodem loco Ariſt. ſola eſt in rerum natura una actio; quæ ſine organo corporeo à ſola fiat anima, nempe intellectio. Vbi apperte colligit, animam rationalem ſeparabilem eſſe, quia ſcilicet ita propriam dedit illi natura actionem, ut ſine organo corporeo poſsit ipſam exercere; Quod non feciſſet natura ſi non eſſet ſeparabilis, & ſi eſſet ſeparabilis, & non haberet propriam actionem, feciſſet aliquid otioſum, quod eſt contra ejuſdem naturæ inſtitutum, quæ, ut diximus, omnia fecit propter cujuſque operationes. Ex quibus ſatis manifeſte probatum manet, nullam actionem corporalem fieri poſſe ab anima, tamquam ab eo, quod agit, ſed potius à toto ab anima moto, tamquam ab origine actionum. Nam quemadmodum carpentarius non poterit perforare lignum ſine terebro, ſic neque anima poterit facere materiales actiones ſine organis. Et quemadmodum actio terebrandi, nec debetur terebro, neque artifici, ſed toto compoſito ex terebro, & ex artifice, ſic contingit actionibus omnibus materialibus. Quare toto cælo aberrat Senn. & exiguum Philoſophum ſe oſtendit, quando aſſerit animam in ſemine ſine inſtrumentis, ſaltim attractionis, facere formationem: ſic enim teneretur

Actio terebrandi, neque terebro, neque artifici, ſed toto compoſito ex terebro & artifici debetur.

dice-

dicere, quamcumque brutorum animam habere propriam actionem, omninoque independentem à materia, & eſſe talem animam ſeparabilem à femineo corpore, ut de anima rationali collegit Ariſtot. Vnde facile colligitur modum generandi, producendi ſcilicet animas, & corpora formandi propoſitum à Sennerto eſſe omnino fictitium.

Alia multa diſſoluit argumenta, quæ adverſus ſuam opinionem proponuntur; ſed cum tales ſolutiones falſis nitantur principiis jam à nobis dirutis, facile unuſquiſque poterit ipſas evertere.

CAPVT V.

Quod ſtirpium animarum multiplicatio non fiat per traducem.

POſtea quam Senn. probavit quodlibet generans transfudere animam in ſemen à ſe genitum, ſicque fieri à natura omnium animarum multiplicationem, accedit jam ad magis propinquam ſuæ opinionis confirmationem. Iſtam enim animarum ex animabus multiplicationem ſigillatim confirmat in tribus viventium generi-

bus: in ſtirpium ſcilicet, brutorum, & hominum animarum multiplicatione.

Aſſerit igitur, tunc novam produci arborem, quando generans arbor ſuum generat ſemen, illudque perficit: tunc namque, ut inquit, anima generantis per traducem multiplicat aliam ejuſdem ſpeciei animam, quo tempore ſecundum hujus viri opinionem, nova manet producta arbor in arbore. Nam cum generatio fiat antequam ſemen decidat à planta, planta recens genita eo nutrietur modo quo fetus in utero alitur ex attracto ſcilicet à matre alimento. Quod vero nova anima traducatur ad ſemen plantæ, ex mea probat opinione: nam ita verum eſſe hoc, inquit, ut Ioannes de la Serna, qui vitam reliquorum ſeminum negat, ipſa evidentia commotus, atque convictus fateri, coactus fuerit dicere ſemina plantarum animata eſſe. Tenebatur tamen Senn. apperte dicere, quantum diſtet modus, quo ſemina plantarum animata ego dico, à modo quo ipſe animã ſtirpium ſemina recipere affirmat. Ego enim, tamquam falſum, fictitium, & omnino alienum à naturali generationis, atque novarum animarum productionis curſu hunc modum multiplicandi, atque traducendi animas judico, ut ipſum tota mente

Modus quo auctor dicit animata eſſe ſemina plantarum, à modo dicendi Sennerti quantum diſtat.

mente negare non dubitem. Ego vero fateor ſemina plantarum eſſe animata, dum non ſeparantur à planta, eadem numero anima, qua tota planta informatur, ut contingit reliquis omnibus partibus ejuſdem plantæ. Cum ſeparantur vero ſemina à ſua planta, manere animata dico, quemadmodum manent animatæ radices, & aliæ partes, cum ſeparantur. Nam cum anima plantæ ſit diviſibilis, ſimul cum parte materiæ, ſive ſubjecti, dividitur quoque pars animæ. Quæ quidem omnia abunde à nobis ſunt confirmata. Cæterum cum hujus animarum propagationis fundamenta ſint demolita, neceſſe non eſt animarum ſtirpium multiplicationem refellere. Sed tempus eſt, ut ad noſtrarum opinionum reſtitutionem deveniamus.

CAPVT VI.

Quod brutorum animæ non producantur per traducem mediante ſemine, ut vult Sennertus, & ab ejuſdem Sennerti multis cavillationibus ſe vindicat auctor.

CApite 9. ejuſdem hypomn. agit Senn. de generatione brutorum facta à generante mediante ſemine per animarum ex animabus traductionem, ſive multiplicationem. Et horum animantium ſemina eſſe animata, eorumq́ue animam propriam facere organizationem, eadem methodo, eiſdemq́ue rationibus, quibus uſus fuerat in ſuperioribus, probat. In progreſſu vero ſuæ probationis in multis me reprehendit, quarum reprehenſionum primam incipit dicens: Semen autem hoc animatum eſſe, docet ipſa fœtus conformatio, vel enim fœtus formatur à cauſa ſemini externa, vel interna: non externa, quæ nulla dari poteſt, aut ſi aliqua daretur, uterus eſſet. Verum formationem non eſſe ab utero, communis virorum doctorum ſententia eſt, nec rationibus deſtituta. Etenim inter recentiores Ioannes Gallego de

de la Serna lib.3.de principiis generationibus c.20. probare conatur animã matris eſſe cauſam principalem organizationis, & animationis in animalibus perfectis, in homine vero formationis, & unionis; rationes vero quibus utitur plane frivolæ ſunt, &c. In hoc loco aſsidua protervitate nititur Senn. iterum confirmare ſuam depravatam de ſeminis animatione opinionem, quæ, ut diximus, origo fuit multorum errorum. Probat enim ſemen in teſtibus ab anima generantis animari. Hujus probationis potiſsima ratio deſumit vim ex fœtus conformatione: ac ſi dicat, fœtus in utero formatur, ergo ſemen habet animam ejuſdem ſpeciei cum anima generantis. Advertat tamen Senn. tunc ſolum effectum eſſe ſignum pathognomonicum. ſuæ cauſæ, quando evidens eſt talem effectum aliam non poſſe habere cauſam: cum vero de cauſa particulari conformationis tot extiterint graviſsimorum hominum opiniones, ut nondum eorumdem ingenia quieſcere poſsint, ſatis inepte colligit eo, quod conformatio fiat in utero, ſemen eſſe animatum. Eſt etenim argumentum à longe petitum.

Origo multorum errorum hæc opinio Sennerti.

Effectus quando eſt ſignũ pathognomonicum ſuæ cauſæ.

Conformationem vero fœtuum ab anima matris mediante ſemine non fieri multorum teſtium

teſti-

teſtimonio probat., & quibuſdam confirmat rationibus,tum quoque & meorum argumentorum ſolutionibus: meas namque rationes,quibus probo animam matris mediante uteri facultate formatrice perfectorum viventium generationem incipere, & abſolvere, tamquam omnino futiles reſpuit. Bonus tamen iſte phyſicus,cum antiquiſſimis erroribus occupatam obtineat mentem,vim mearum rationum penetrare non valet. Nam quamvis demonſtrationes non ſint, tantam tamen probabilitatem habent, ut quemlibet Philoſophum intellectum, qui à falſis fundamẽtis convictus non ſit,perſuadere queant. Non poterit vero mearum rationum robur quis enervare, niſi prius demoliatur, ea omnia firmiſsima fundamẽta, quæ à principio totius operis jacere cœpi,ut firma,atque ſtabilis mea maneret opinio. Nam cum totius operis ſeries, atque naturalis probandi ratio dirigatur ad veritatem illam noviter firmandam nempe, quod tota mater ſit principalis,atque proxima formationis ſui fœtus cauſa: neceſſarium erat prius aliarum ſententiarum fundamenta deſtruere &noſtrę opinionis principia inſinuare. Vnde is, qui meam ſententiam methodice impugnare voluerit,debet prius ſeçundi & tertii lib. fundamenta

Tota mater proxima, atque principalis cauſa formationis fœtus eſt.

menta reprobare: nempe, qui dixerit ſemen animatum eſſe, idque probare voluerit Ariſt. teſtimonio, debet repræhendere ea, quæ diximus l. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 1. ubi evidentibus rationibus ex ejuſdem Ariſt. principiis deſumptis, nullo modo ſenſiſſe Ariſt. ſemen eſſe animatum probavimus; ſed, quod potius exiſtimaſſet deſcendere in ſemine inanimato virtutem quandam accidentalem, quæ immediata cauſa totius generationis eſſet, tamquam inſtrumentum patris. Semen vero plātarum eſſe partem earumdem plantarum, ſecumque afferre partem animæ, diviſibilis cum ſit, quæ poſteà per nutritionem integram plantam perficere poſſit, confirmatum reliquimus. Tenetur quoque refutare ea omnia, quibus probavimus ſemen animalium omni carere vita. Vbi tamquam omnium opinionum abſurdiſsimam eam judicavimus, quam Senn. ſequitur. Deinde firmis rationibus demonſtravimus, nullam accidentalem cauſam formationis poſſe in ſemine venire, quæ valeret corrumpere ſemen, & ſanguinem, & ex illa maſſa oſſa, & carnes facere. Sic quoque contra Fienum demoſtravimus, non poſſe animam fœtus tertio, aut quarto die ſemini, & ſanguini unitam ſuam facere formationem. Et dum

Quid ſenſit Ariſt. de principio activo formationis fœtus.

Nulla accidentalis cauſa, quæ ſemen, & ſanguinem menſtruum corrumpat, in ipſo ſemine venire poteſt.

varias de facultatis formativæ natura opiniones refutavimus, noſtræ quoque ſententiæ lucem dedimus, præſertim dum extra matrem animantibus, aut plantis evenire non poſſe confirmavimus. Diximus enim eodem modo dimanare ab anima ad debitum ſibi organum, quemadmodum facultatem viſivam, & reliquas organicas facultates ſolum dimanare ad propria organa cernimus. Cum igitur iſta omnia efficacibus rationibus ſint confirmata, & ex illorum confirmatione robur mearum oriatur rationum, non poterit quis dictas rationes radicitus evellere ſine deſtructione antecedentium principiorum.

Sine deſtructione principiorum rationes, quæ ex illis recte educuntur, radicitus evelli minime poſſunt.

Negat igitur imprimis minorem propoſitionem primæ rationis. Quæ quidem ratio deſumpta eſt ex generali doctrina lib. de nat. facult. ubi probat, quod quidquid attrahit, non attrahat ſolum propter attrahere, ſed ut re attracta aliquo modo fruatur: ſed uterus tanta aviditate attrahit ſemen, ut dicat Averroes mulieres in valneo attraxiſſe ſemen expulſum à viro in ejuſdem valnei aqua, ergo uterus movetur ad attractionem ſeminis propter aliquam fruitionem, ac delectationem. Aliter enim non moveretur propter finem, quod à rebus naturalibus alienum eſt. Senn. vero ne-

Propter finem non moveri à

negat uterum attrahere materiam fœtus, cum hujuſmodi attractio ab anima ſeminis fiat. Ego autem non loquor de attractione ſanguinis, ſed de prima ſeminis attractione, quæ fieri non poteſt, niſi ab utero. Vnde manet probatum, certiſsimam eſſe minorem, quam negat Senn. Fruitio autem ac complacentia, quam uterus cum ſemine habet, non poteſt eſſe alia, niſi quod, quatenus eſt organum generationis, ac potiſsimum inſtrumentum animæ matris, concoquat, ac uniat, & ſubſtantialiter tranſmutet, formet, & animet fœtus illam materiam. Nam cum præſens ſit anima actu informans ſimile in ſpecie corpus ei, quod curat facere: non eſt extra rationem, quod nos totum generationis opus matri, & non ſemini tribuamus. Tu autem adverte, quod ego ſimul cum Senn. concedo attractionem ſanguinis materni ad uterum non fieri ab eodem utero, ſed ab altrice fœtus, ut à nobis explicatum eſt.

rebus naturalibus alienum.

Fruitio & complacentia, quam uterus cum ſemine habet qualis ſit.

Attractio ſanguinis ad fœtus nutrionẽ, non ab uteri facultate, ſed ab altrice fœtus fit.

Deinde vero negat Senn. facultatem formatricem perfectorum animalium organicam eſſe, hoc eſt non dimanare ad omnes corporis partes; ſed habere deputatũ organum, in quo ſolo poſsit ab anima dimanare, ut mediante illo ſuam compleat actionem. Et, ut noſtræ ſententiæ veritas magis

conſtet, advertere oportet in animantium corporibus duplex inveniri genus actionum: aliæ enim ſunt, quæ neceſſario fiunt in omnibus viventibus partibus, ut earum conſervatio perſeveret, qualis eſt attractio, expulſio, coctio, nutritio, & auctio. Aliæ vero ſunt, quæ etiamſi ipſarum utilitas omnibus conveniat partibus; non tamen ab omnibus fieri poſſunt, ſed ab uno toto ex variis cōpoſito partibus ſimilaribus, ita, ut niſi ex debito ipſarum numero, magnitudine, & ſitu, debitaque temperie ſit conſtitutum tale organum, in opere claudicabit. Vnde Ariſtot. 4. de gen. an. affirmat omnem facultatem inſtrumentum ſibi approximatum habere. Et lib. 2. de par. an. cap. 1. aſſerit omnes actiones adminiſtrari per partes diſsimilares: quaſi ſolum mereantur nominari ſimpliciter actiones eæ, quæ dicuntur organicæ, quia à facultatibus fiunt in ſolis organis reſidentibus, quarum unaquæque ita exiſtit in uno, ut in alio exiſtere non poſsit. Nam quamvis cujuſque horum organorum actio ab una partium ſimilarium ex iis, ex quibus componitur organum, potiſsime fiat: ita tamen reliquæ præbent uſum ad dictam actionem, ut ſine uniuſcujuſque auxilio, vel diminute, vel depravate, vel nullo modo fiat operatio.

Omnis facultas inſtrumentū ſibi approximatū habet.

tio. Quapropter vere nominari debet tale opus, actio totius organi,& tale organum,talis actionis inſtrumentum. Quod verum eſſe probat Ariſt. lib.4.de gen.an. cap. 1. dicens : Natura autem ſimul,& facultatem cuivis dat, & inſtrumentum. Atque, ut nec viſus ſine oculis,nec oculus ſine viſu perficitur,&c.ubi viſionem ab oculo,& non ab humore chriſtalino fieri aſſerit,& oculum,& non humorem chriſtalinum dixit viſionis eſſe organum. Quare organicæ actiones, ab organis, ut compoſita ſunt,fiunt, & non à partibus ſimilaribus, ut ſimilares, ac ut ſimplices ſunt. Vnde certum eſt falli Senn. dicentem actiones organicas fieri à ſimilaribus, ut ſimilares ſunt, cum non fiant niſi à toto compoſito ex ſimilaribus.

Viſio non ab humore chriſtalino, ſed ab oculo fit.

Cum igitur viventis nova productio ſit opus totius & nõ ſit propria animæ actio, ſed ſit actio, quæ fit ab anima mediante corpore,ut probatum eſt: & cum certum ſit, quod non ſit opus ſingularium partium ſimilarium, ut ſimilares ſunt, certum quoque erit eſſe opus alicujus organi. Nam partes ſimilares ſolum habent vim ſe conſervandi attrahendo,retinendo, coquendo, &c. aliquod vero totum de novo faciendi virtutem non habent, hoc enim ſemper cõmittitur organis. Qua-

Viventis propria productio actio totius eſt.

propter cum ſanguinis generatio, verbi gratia, deputatum habeat organum, neceſſarium quoque erit perfectiſsimo omnium operi organum reliquiſſe naturam, mediante quo anima poſsit alterum individuum ſibi ſimile facere. Omnium enim naturalium actionum præſtantiſsima eſt fœtus formatio, & animatio. Quapropter non commiſit ipſam naturæ auctor, nec liquori ſemineo, nec partibus ſimilaribus: his namque non tribuit novi individui generationem, ſed individui geniti reparationem per attractionẽ, coctionem, &c. Vnde neceſſario ſequitur, quod viventis nova productio ita fiat à particulari organo, ut ab alio fieri non poſsit. Quapropter cum generatio præſente indigeat principali, & inſtrumentali artifice, neceſſarium eſt concedere animam matris tamquam principale agens, & uterum cum ſua facultate generatrice tamquam organum, ſive inſtrumẽtum immediatum ejuſdem matris totius productionẽ facere, præſertim cum abunde probatum ſit nullo modo poſſe ſemen afferre animam, nec aliquam inſtrumentalem virtutẽ, à qua talis actio fieri poſsit, nec animam fœtus ipſam facere poſſe. Dicere vero animam ſeminis formationem facere eo modo, quo fit nutritio

Omnium naturalium actionum fœtus formatio præſtantiſſima.

Inſtrumentum immediatum generationis uterus eſt cum ſua facultate generatrice.

tritio poſtquam animal genitum eſt, veræ Philoſophiæ ignoratio eſt: ſæpius enim ex Ariſtot. doctrina diximus nullum animal ſeipſum generare, ſive formare poſſe, quamvis ſe nutrire debeat propter rationes ſuperius dictas.

Senn. vero evidentiſsimas eſſe rationes, quæ probant non poſſe uterum perficere fœtus formationem, aſſerit: tanta tamen eſt harum rationum evidentia, ut à quocumque vento, quantumvis mitis ſit, deturbari poſsint. Prima ratio probat, quod ſi ſola mater perficeret generationem, ſequeretur quod pater nullo modo præſtaret principium aliquod activum generationis. Quod intolerabile eſſe abſurdum judicat. Nos autem negamus conſequentiam, ſi abſolute intelligatur: nam quamvis mas non attingat ultimum generationis, ut fœmina; multum tamen facit in beneficium ejuſdem generationis, quod ſatis eſt, ut verus ſit pater, ut lib. 3. de princ. gen. reſpondendo ad hanc objectionem traditã à Carrerio; & magis ex inſtituto in eodem lib. cap. 25. ubi quærebamus, utrum patres ſint cauſa univoca ſuorum filiorum, & in quo fundetur paternitatis relatio. Quibus in locis, quamvis conceſsimus, eamdem ſpecie virtutem generativam reperiri in fœmi-

Relatio paternitatis in quo fundatur.

fœmina, atque in mare: probavimus tamen non eſſe neceſſarium, ut ambæ æqualiter totius generationis progreſſum attingant. Satis enim eſt, ut mas dicatur vera cauſa efficiens generationis, veruſque pater, quod ſua naturali virtute generet potiſsimam materiæ fœtus partem, illiq; tribuat uberem caloris nativi portionem, quæ ſit potiſsimum animæ formantis, & animantis inſtrumentum. Quam quidem ſententiam tenet D. Th. & omnes ejus ſequaces: nam, cum ipſe dicat, matres nullam præſtare efficientiam in generatione, aſſerit tamen Virginem Mariam eſſe veram Chriſti Matrem, quia ad hoc ſatis fuit, quod puriſsimus ſanguis, ex quo formatum fuit corpus Chriſti, genitus eſſet à naturali virtute ejuſdem ſacratiſsimæ Virginis.

Negare vero cum Ariſt. (ut facit Senn.) ſemen eſſe potiſsimam materiæ fœtus partem, idem eſt, quod negare id, quod oculis verum eſſe conſpicitur. Nam non aliter albedo genitarum partium eſt indicium, quod genitæ fuerint ex ſemine, ac rubedo fœtus partium eſt ſignum, quod genitæ fuerint ex ſanguine. Cum enim præſentem materiam albam, & multo magis elaboratam quam ſit elaboratus ſanguis, habeat natura, ex qua poſſit

Quemadmodũ rubedo, eſt ſignũ partium quæ formantur ex ſanguine, ita & albedo

ſit oſſa, & ſimiles partes facere, fruſtra laboraret, ut unica, & eadem commutatione ex ſanguine, tunc efficeret durorum oſsium, & reliquarum albarum partium materiam. Quare vere cum Galeno aſſerimus, partes ſpermaticas ex multo majore ſeminis portione, carnoſas vero ex multo majore ſanguinis quantitate fieri.

carnĩ, quæ formãtur ex ſemine.

Ridiculum quoque eſt aſſerere, quod ſi mater eſſet efficiens generationis, poſſet mulier ſine viro generare, cum impoſsibile ſit, ut ſine utroque ſemine perfectorum generatio fiat, ut probatum habemus lib. 3. de gen. princ. cap. 17.

Sine utroq; ſemine generatio non fit.

Eodem quoque modo falſum eſt dicere, quod ſequeretur ex noſtra opinione, ut numquam nati ſimiles patribus producerentur. Sed hoc etiam eſſe falſum confirmatum à nobis eſt lib. 3. de gen. princ. cap. 16. Ibi enim diximus potiſsimam intentionem agentis eſſe ſibi ſimile in ſpecie generare: reliquas vero accidentales ſimilitudines fœtibus evenire plerumque propter materiæ diſpoſitionem, propter regionem, & propter alia, ut ſi materia à parentibus morboſis, à nigris, vel albis, à calidis, aut frigidis oriatur. Idem quoque reſponſum habemus ad tertiam Sennerti rationem: cur ſcilicet, ſi fœmina eſt principalis cauſa generatio-

Generantis potiſſima intentio eſt ſimile ſibi in ſpecie generare.

 nis,

Cur fœmina non ſemper fœminas generet.

nis,non ſemper fœminas generet. Diximus enim id evenire ratione diſpoſitionis materiæ, & uteri: nam ſi materia, aut uterus ſit calidior, quam, ut fœminarum generationi conveniat, agens generationis generat maſculos, ſin minus fœminas. Quod ſignificavit Galenus, in arte medicinali, cum dixit teſticulos calidos,& ſiccos maſculorum genitores eſſe. Ex iis, quæ diximus poterit unuſquiſque, quam debiles ſint rationes Senn. colligere.

Fortiſsimum vero argumentum,quo eamdem concluſionem nititur probare, prius propoſuit Carrerius, dicens uterum nullo modo attingere generationis materiam, quia non ſolum illud membranæ impedire valent,ſed, & varia quoque excrementorum colluvies. Et etiamſi abunde ſolutum à me fuit argumentum, quia vero acriter meam ſolutionem redarguit,iterum ipſam reædificare neceſſe eſt.Tanto igitur rationum, & experimentorum robore confirmavi quam plurima non ſolum in naturalium rerum univerſitate, ſed in noſtris quoque corporibus eſſe agentia, quæ non ſolum contactu reali, ſed etiam virtuali ſua opera facere poſsint, ut dixerim habetem habere intellectum, qui dubitaverit uterum poſſe totam gene-

Google

generationis materiam ſua virtute, ſuoque calore commutare, formare, & animare, etiamſi integram non tangat materiam fœtus. His tamen non obſtantibus adeo eſt difficile protervum revocare ingenium, ut dicat nec ſubtiliſsimum intellectum conſequi poſſe, quo modo anima fœminæ, abſens cum ſit, poſsit fœtus interna viſcera formare. Ego autem, qui per naturæ regiam, amplamque viam iter facere ſemper curo, nullo modo abſentem judico animam ab iis objectis, quæ intra ſui corporis terminos comprꝏhenſa habet, circa quæ objecta ſolo contactu virtuali operatur: hepar enim chilum in inteſtinis exiſtentem virtute attractiva attrahit, ut caput ex infernis venis ſanguinem, ut ſummitates arborũ humorem ex terra ſugunt. Et facultates, quæ externorum alimentorum commutationi intendunt, idem contingit. Nam quamvis ventriculi ſubſtantia ſolum tangat ingeſtorum alimentorum ſuperficiem, præſertim in voracibus atque potatoribus, totam tamen eorumdem alimentorum commutat molem. Scimus quoque hepar in venis meſaraicis commutare chilum, illique rudem quemdam ſanguinis colorem tribuere, & tempore inediæ in diſtantibus venis pituitam in

Anima ab iis objectis, quæ intra ſui corporis terminos comprahenſa habet, non eſt abſens.

ſanguinem convertere. Cerebrum quoque continuata illuſtratione omnia ſenſuum organa alterat, ut eàdem apta ad objectorum receptionem reddat. Vnde mirum eſt, quod amor propriarum opinionum doctos cogat viros negare, poſſe uterum totam, quam in ſuo ſinu firmiter compræhenſam habet generationis materiam commutare, cum idem natura faciat fere in omnibus organis, quę ad publicas actiones deputata ſint. Incipit igitur uterus ſanguinẽ, & utrumq; ſemen miſcere, & ex totius miſcellæ deteriori parte membranas, ſive fœtus tegumentum facere. Eſt etenim naturæ conſuetudo, quidquid retinere accumulatum vult, membranis circumdare: quod etiam in tumoribus, qui per congeſtionem fiunt, à natura fieri cernimus. Ego autem non dico membranas iſtas eſſe partes conſtituentes fœtum, ut Senn. mihi impoſſuit, (non enim ita ſiniſtre res conſidero) ſed eſſe partes factas, viventeſque, & animatas, ſaltim vita vegetativa ab utero, & continuitate actionum reliquum totius generationis opus perfici eo modo, quo à nobis explicatum fuit. Quod vero virtutes iſtas à certis naturis manantes ad extra Senn. ſpirituales craſſo modo appellet, ſive corporales ut revera ſunt; tranſeat, dummodo

Naturæ conſuetudo membranis circumdare, quidquid accumulatum retinere vult.

fatea-

fateatur, aliquorum compoſitorum corporum virtutes inveniri, quæ non ut primæ qualitates, ſed, ut virtutes totius ſubſtantiæ in virtute ſui ſuppoſiti extra ipſum operantur, dum ab eodem actualem recipiant favoris continuitatem.

Qualitates totius ſubſtantiæ in virtute ſui ſuppoſiti extra ipſum operantur.

Aſſerere vero facultatem concoctricem & formatricem facultates immanentes eſſe, impropria locutio eſt, & Philoſophis aliena: nam ſi proprie loquamur, ea dicitur actio immanens, quæ in eodem ſubjecto, à quo editur ſubjectata manet, ut intellectio, volitio, ſenſatio, appetitio, & ſimiles. Coctio vero non ſubjectatur in coctrice facultate, ſed in objecto coctili, & generatio non in generatrice, ſed in generabili, dummodo objectum generabile ſit conjunctum cum generãte in ſenſu à me explicato: nam, ut recte D. Th. 1. p. q. 27. art. 4. & 4. con. gen. generatio eſt origo viventis, à vivente, tamquam à principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ. Vbi per conjunctionem principii agentis cum paſſo, non ſolum intellexit conjunctionem realem, ſed & virtualem: nam, ut nos explicuimus, ipſe exiſtimavit ſuppoſitum generativæ potentiæ eſſe ſemen, quatenus eſt id, quod defert generantis potentiam ad uterum, quæ totam faciat generationem, ſive forma-

tionem, non ex ſemine, cui eſt conjuncta illa virtus, ſed ex ſanguine: tenet enim Ariſt. opinionem dicentis ſemen non ingredi in fœtus compoſitionem. Vbi non dixit D. Th. principium generans eſſe conjunctum formaliter cum paſſo, ſed ſolum virtualiter. Nos autem verius dicimus eſſe ſcilicet animam matris mediante facultate generatrice in utero, tamquam in proprio organo reſidenti. Et, ut vere dicatur actio generandi vitalis, fieriq; à principio interno, ſatis eſt, ut fiat à principio vitali, quod internam, ſibique cohærentem habeat materiam, ſanguinem ſcilicet menſtrum conjunctum ſemini. Hæc enim eſt cauſa quare actiones artificum non dicantur vitales, quamvis fiant à principio vitali: quia ſcilicet artifices non habent intra ſe materiam circa quam operantur. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quam futilis ſit impugnatio Senn. & quàm falſum dicat animam matris abſentem eſſe à materia fœtus, cum ipſa præſens ſit omnibus actionibus, quas exercet circa quamlibet materiam, quam intra corpus, quod informat habet.

Actio generandi propter quod vitalis dicitur.

Probat quoque Senn. ſuam de anima ſeminis opinionem ovorum exemplo: in his enim, ut nos quoque diximus, principium formationis eſt anima

ma pulli informans materiam ovi: ergo, & in reliquis viventibus erit anima ſeminis. Non tamen concludit Senn. ut doctus in his naturæ actionibus, qualis fuit Ariſt. Hic enim diverſorum generum viventium diverſum generationis ordinem merito conſtituit: penes ſcilicet diverſarum naturarum dignitatem, perfectionem,& imperfectionem. Vnde ſtultum eſt,ac ſine phyſica ratione velle ex iis,quæ ſufficiunt, ad generationem plantarum,aut eorum animalium,quæ ex putri generantur materia,colligere univerſum modum,quo pulli generantur,animantur, & formãtur. Quemadmodum non ſine errore progredietur is, qui ex pullorum productionis modo integram perfectorum animalium generationem rimari voluerit. Sic quoque, qui integram animationem, & humanam formationem ex reliquorum animalium generationis progreſſu colligit, neceſſarium eſt, ut in diſcurſu trepidet. Variant etenim omnia iſta viventium genera, non ſolum in generationis tempore, ſed etiam in modo. Vnde manifeſtum eſt, ut is qui ſine errore integram de viventium generatione diſputationem abſolvere voluerit, iis, quæ communia omnibus viventibus ſunt, ſigillatim addat, quæ cujuſque generis generatio-

Diverſorum generum viventium diverſus eſt generationis ordo.

ni-

Viventium principia quatuor.

Ova cum plantarũ ſeminibus maximã habent ſimilitudinem.

Quod diſcrimen inter ovum & vermen reperitur.

ni eveniunt. Quod quidem nos in noſtris de gen. princ. accuratius quam Senn. facere curavimus. Ibi namque cum Ariſt. quatuor adduximus viventium principia: nempe plantarum ſemina, ova, vermes, & ſpermata perfectorum viventium. Diximus quoque ea ova, quæ ſubventanea non ſunt, grandem habere ſimilitudinem cum ſtirpium ſeminibus, ita, ut Empedocles ſemina plantarum appellaſſe quoque ova dicat Ariſt. Conveniunt namque in eo, quod tam in ovis, quam in ſeminibus plantarum ſimul inveniatur cum parte animata portio materiæ, quæ non ſit animata, quæque ſit alimentum, ex quo per nutritionem pars animata totum formet pulli, vel plantæ corpus. Quod partium diſcrimen non reperitur in verme. Vnde Ariſt. dixit lib.2. de gen.an.cap.1. inter vermen, & ovum hoc reperiri diſcrimen, quod ovum ſit ex cujus una parte animal gignitur, reliquum vero eidem animali eſſe cibum: vermen autem eſſe, ex quo toto animal gignitur. Quod quidem diſcrimen inter ſemen plantæ, & vermen invenitur quoque. Quatenus igitur ovum ortum habet ab animali, in animatum eſſe videtur, quale ſperma animalis eſſe diximus: quatenus vero non eſt altera pars conceptus, ut animalis ſemen

eſt,

eſt, ſed eſt integer conceptus, ut eſt ſemen plantæ, animatum eſſe videtur quale ſemen plantæ eſſe probatum eſt à nobis lib. 2. de princ. gen. cap. 10. Ibi enim diximus ea ova, in quibus integer invenitur conceptus, animas pullorum recipere antequam à matre excludantur, mediante uteri natura. Modus enim animandi ſeminum plantarum differt à modo, quo animantur ova, quod illa dum ſunt actuales totius plantę partes, forma totius animentur, & quia diviſibilis eſt, ſimul cum ſemine dividatur: hæc vero, quia non habent animam diviſibilem eo modo, eaque potentia, ut plantæ, recipiunt animam à matre per eductionem ex materiæ poteſtate. Convenit vero anima ovi cum anima plantæ, quia utraque in una conſervari, atque introduci poteſt parte, quæ ad portionem naturæ animæ ſit diſpoſita, quæque animata cum ſit reliquas per nutritionem faciat, ut plantis evenit, ut dictum eſt. Quem generandi modum perfectorum animalium animæ tolerare nequeunt propter ipſarum majorem dignitatem. Nam, ut diximus, ante ipſarum introductionem mediæ præcedunt viventes formæ, & nec introduci, nec conſervari poſſunt, niſi materia debitam habeat attemperationem, atque extenſionem.

Ova in quibus integer invenitur cõceptus, pullorum animas recipiunt anteqnã ab matre excludantur.

Ante introductionem animæ perfectorum animalium mediæ viventes formæ præcedũt.

nem. Quapropter irrationabiliter colligit Senn. ſemina animalium debere eſſe animata, quia ova, & ſemina plantarum ſunt animata, quaſi omnia iſta eumdem haberēt perfectionis gradum: quod cum falſum ſit, pariter quoque falſum eſt, quod ſequitur.

Semen actione teſtium non poteſt animari.

Acriter quoque, & quaſi tyronem me repræhendit, quia probare tentaverim ſemen perfectorum animalium non potuiſſe actione teſtium animari eo modo, quo fuit animata portio illa ejuſdem ſeminis, quæ beneficio nutrientis teſtium virtutis fuit unita, & animata. Quod adeo ex proximis naturalibus principiis fuiſſe à me probatum exiſtimo lib. 1. de princ. c. 5: ut evidentiam me feciſſe mente conceperim. His tamen non obſtantibus, ita parvi pendet Senn. fortiſsimas illas rationes, ut dicat omnes eſſe petitiones principiorum, & quaſi dicat me idem per idem probaſſe. Ego autem verius dico, vel ipſum ignorare, quid ſit, & quale vitium in argumentatione ſit, petitio principii, vel non potuiſſe callere meorum argumentorum vim. Sed non mirum eſt, quod ea fortiſsima argumenta, quæ ſuam opinionem labefactare valent, audacter ſolvere tentet, cum hoc facile conſequi poſsit, quæcumque vera prin-

principia in quibus fundantur contraria opinio, negando: quibus negatis facile erit deſpicere, quæcumque argumenta, quæ in dictis principiis radicantur. Negat igitur imprimis ſemen eſſe utile excrementum tertiæ ſanguinis coctionis, quam ad ſui nutritionem faciunt teſtes: cum non aliter ac maſſa ſanguinaria eſt utile excrementum ejus chili coctionis, quæ fit in hepate, & ſanguis arterialis & ſpiritus vitalis, qui expellitur ad arterias, utile cordis eſt excrementum, & ſic de cæteris, ſit ſemen utile excrementum teſtium. Omnia enim iſta ſunt redundantiæ dictarum coctionum, quæ dicuntur excrementa, quia propter neceſſarium naturæ inſtitutum plus ſubſtantię concoquitur à talibus partibus, quam ſit neceſſaria ad earumdem nutritionem. Vnde manifeſte patet, quod ſemen, quod excernitur tempore coitus, ſit portio illius ſanguinis venalis, & arterialis cum ſpiritibus vitalibus, quam prima intentione ad ſui nutritionem concoquunt teſtes: quæ quidem doctrina adeo certa eſt, ut apud Galen. & ejus fideles interpretes pro phyſico, ac medicinali principio habeatur. Quapropter nolumus Sennerto credere legiſlatoris ritu dicenti producere teſtes ſemen prima ſui intentione, illudque præparare, ut ſit ge-

Semen excrementum utile illius tertiæ coctionis, quam ad ſui nutritionem teſtes faciunt.

genuinum ſubjectum, ut agens faciat in ipſo animæ multiplicationem. Quod verum eſſe tam in plantis quam animalibus affirmat. Satis enim probatum à me eſt,omnia iſta falſa , & chimerica eſſe. Longe enim diſtant à vero generationis itinere.

Nihilominus tamen probare iterum poſſumus, ſeminis generationem à teſtium ſubſtantia, ideo fieri, ut ab eo nutriatur: nam ſi hoc ita non eſſet, non ſequeretur ex nimio coitu tanta corporis debilitas, ac ſanguinis loco ſeminis excretio. Tum prætereà odor, & color teſtium demonſtrat ſemine ipſos nutriri, cum idem odor & color in ſemine inveniatur. Nam quemadmodum hepatis rubedo, atque ſanguinolenta ſubſtantia, indicia certiſsima ſunt, quod hepar ſanguine à ſe genito nutriatur: ſic quoque teſtibus contingere certum eſt. Improbabile quoque eſt duplicem conſtituere actionem, quarum unaquæque primo, & per ſe ſit intenta ab eadem teſtium ſubſtantia circa eamdem ſanguinis quantitatem, in eodemque tempore, generationem ſcilicet illius liquoris, quo nutriuntur teſtes, & generationem, præparationem, & animationem illius ſeminis, quod in teſtibus animari affirmat Senn. Nam, ſi hoc

hoc ita eſſet, indigerent teſtes duplici modo ſubſtantiæ, duplicique temperamento: quando enim duæ naturales actiones ab eodem organo editæ non ſe conſequuntur, ita, ut una primo & per ſe fiat, & alia ex accidenti ſequatur, ſed ambæ fiant per ſe, atque propter diſtinctum finem, duplici indiget tale organum partium diſpoſitione, ut contingit linguæ, quæ, ut eſt inſtrumentum motus, muſculis, ut vero eſt organum guſtus propria indiget ſubſtantia. Cum igitur hæc partium diverſitas in glandulosa teſtium ſubſtantia non inveniatur, durum eſt aſſerere diſtinctam actionem eſſe ſeminis generationem, & animationem à generatione ſubſtantiæ nutritivæ eorumdem teſtium. Quare rectius eſt, id, quod verum eſt fateri: nempe, quod ſumma creatoris ſapientia omne ſuperfluum evitans, & nihil neceſſarium omittés, ita actiones principalium partium ſentientis corporis diſpoſſuerit, ut quotieſcumque ex una per ſe facta aliç ex accidenti ſequi poſsint, ſuperfluam organorum fabricam evitaverit. Cujus artificii laudes merito ab Ariſtot. lib. de hiſtoria, de partibus, & de gen. an. 1. & Galen. lib. de uſu partium referunt: generatio igitur ejus ſeminis, quæ in coitu, & in aliis pollucionibus excernitur, eſt ſuperan-

Duæ actiones naturales, uno & eodem tempore, primo & per ſe, ab una & eadem parte fieri non poſſunt.

rantia ejus ſanguinis venalis, & arterialis, qui à ſubſtantia teſtium ad ſui nutritionem coquitur. Nam quemadmodum provida natura potentiam hepati dedit, ut multo majorem ſubſtantiæ portionem concoquat ea, qua ad ſui nutritionem indiget: relinquum vero ad conſervationem individui deſtinavit natura: ſic quoque teſtibus facultatem dedit, ut tempore oportuno multo majorem ſeminis quantitatem concoquant, quam ad ſui nutritionem ſit neceſſaria: reliquum vero ad fœtus generationẽ deſtinavit naturæ auctor. Quod quoque, & mammis ſtatutis temporibus accidit. Nam, ut inquit Ariſt. hæ duæ humiditates ſuperveniunt perfectis animalibus, ætatibus à natura deſtinatis: una ſcilicet ut conſervetur ſpecies, & altera, ut tenerus fœtus nutriatur. Sola vero ambitio, & proprii dogmatis amor coegit Sennertum affirmare ubera lacte non nutriri, cum illud propria mammarum ſubſtantia manifeſte oſtendat. Vnde ex multorum maſculorum mammis lac effluit, ut ex Ariſt. dictum à me eſt.

Vbera lacte nutriuntur.

Ex quibus omnibus evidens eſt facultatis coctricis opus non eſſe animare materiam, quam tranſmutat, ſed ipſam præparare, ut beneficio facultatis nutricis animetur agglutinando ipſam viven-

viventi ſubſtantiæ. Ex quo fit, ut ea ſubſtantiæ portio, quæ ſolum pertulerit facultatis concoquentis tranſmutationem, minime poſsit animata manere.

Quibus, tamquam veriſsimis ſtatutis, videre oportet, utrum rationes, quibus probo ſemen, quod incoitu excernitur, non potuiſſe à teſtibus animari, ſint petitiones principii: an vero rem, quam probare intenderam, evidenter confirmẽt. Robur igitur potiſsimi argumenti ita proponitur: portio ſeminis, quæ incoitu excernitur, ſolum recepit in teſtibus commutationem eam, quam valet facultas concoctrix illi exhibere, ſed animare materiam ab extrinſeco advenientem non eſt opus hujus facultatis, ſed facultatis nutrientis, cujus eſt miniſtra facultas coctrix, ergo ſemen, quod excernitur non poteſt à teſtibus exire animatum: quemadmodum neque ſanguis, qui expellitur ab hepate, neque ſimilia excrementa, quæ dicuntur utilia, quia generantur in utilitatem viventis, vel in utilitatem conſervationis ſpeciei. Cum igitur concoctrix teſtium, ſolum valeat ſanguinem venalem, & arterialem in ſubſtantiam ſeminis tranſmutare, nullo modo poterit ſemen hujus virtutis actione manere animatum, ſed potius

Precipuum argumentum quo probatur, ſemen non animari in teſtibus.

tius cum media quadam forma inter ſanguinem, & propriam teſtium ſubſtãtiam. Unde fit, ut qui importune coeunt loco ſeminis ſanguinem emittere ſoleant. Cum igitur, ut à nobis probatum eſt, generationis modus, qui à Senn. proponitur, ſit prorſus alienus à ratione naturali, facile inveniet unuſquiſque peritus argumentator, utrum in ſupradicto argumento ſophiſma illud, quod appellatur, petitio principii committatur: an vero per proxima phyſica principia ſemen non animari à teſtibus probet.

Inter ſemina plantarũ, & animalium eſt diſparitas.

Sic quoque prorſus eſt falſa, ac omnino inadæquata paritas ſeminum plantarum cum ſeminibus animalium cum hæc diverſo modo animentur, ac illæ, ut à nobis ſatis probatum eſt.

Deinde iterum me taxat eo, quod lib. 3. de gen. princ. cap. 5. promiſi, ita me probaturum ſemen ſolum recipere à ſuis generantibus diſpoſitiones quaſdam ad materiales animæ, & formationis fœtus partium receptionem, ut deinceps nullus, niſi ſtupidus, nimiſque protervus ſit, id ipſum negare audeat. Verum grandibus iſtis promiſſis, inquit Senn. non ſtat, & levia ſunt, quæ promiſit argumenta. Cæterum, ut tanta cum audacia noſtra argumenta de debilitate taxaret, oportebat ipſum

Google

ipſum prius auctoris mentem intelligere, & quorum auctorum opiniones tunc repræhenderet. Nam ego ibi non diſputo adverſus eos, qui dixerunt, ſemen formare, & animare fœtum, quia ſemen ipſum exit à teſtibus animatum eadem anima, qua generans informatur. Hanc etenim opinionem, tamquam obſcœnam, & prorſus à ratione alienam jam abjeceram, & tamquam indignum eſſe, ut mentio tam turpis opinionis in ſcholis habeatur, judicaveram. Vnde ibi ſolum agere inſtitui, contra eorum opinionem, qui quamvis fateantur, ſemen inanimatum eſſe, dicunt tamen virtutem generativam patris deſcendere ad uterum in ſemine, ideoque aliqui horum, ut Ariſt. & D. Th. dixerunt, ſemen ſolum eſſe cauſam efficientem generationis, & minime materialem, ut ſignificavit S. Thomas dicens in animalibus perfectis, quæ generantur ex coitu, virtutem activam eſſe in ſemine maris; materiam autem fœtus eſſe id, quod adminiſtratur à fœmina conſtat. Alii vero dixerunt, ſemen ſimul habere virtutem generativam patris, & eſſe materiæ fœtus potiſsimam partem. Adverſus quas duas opiniones duobus antecedentibus capitibus egeram, probavique nullam ſeminis virtutem poſſe attingere animæ

Nulla ſeminis virtus poteſt attingere animæ fœtus productionem abſque actuali

 mæ

generantis influxu. mæ fœtus productionem abſque actuali generantis influxu

Quibus ſuppoſitis, ſuppoſito quoque quod ſemen ſit ita utile excrementum teſtium, ac ſanguis eſt utile excrementum hepatis, non ita levia ſunt argumenta, quibus probare promiſsi ſemen non poſſe à patre recipere virtutem generativam, ut Sennerto viſa ſunt. Nam, quod ſolum recipere poſsit ſemen à ſuo generante diſpoſitiones quaſdam materiales, minimeque virtutem aliquam activam, evidenti inductione confirmavi. Commutatione enim, quam externum alimentum recipit à natura ventriculi, producitur chili forma, quæ materialis eſt diſpoſitio ad generationem ſanguinis. Deinde forma ſanguinis eſt materialis diſpoſitio, ut à qualibet viventi parte convertatur in rorem, glutem, ac tandem in partium activarum ſubſtantiam. Vnde formæ omnes, ante converſionem in ſubſtantiam viventem, ſunt mediæ quædam formæ mere materiales abſque aliqua agendi vi. Ex quo fit, ut neque chilus generare poſsit chilum, neque ſanguis ſanguinem. Quæ quidem omnia ſemini evenire eſt certiſsimum. Nam, ut multoties repetitum eſt, uterque ſanguis coctus à teſtibus, ſolum recipit mediam

Semen à ſuo generante ſolum diſpoſitiones quaſdam materiales recipit.

Chilus non poteſt generare chilum: neque ſanguis ſanguinē.

Google

diam quandam formam,quæ ſit diſpoſitio materialis immediate ad converſionem in ſubſtantiam eorumdem teſtium,accidit tamen,ut non tota ſeminis concocti portio ſit ad nutritionem neceſſaria. Vnde probatum manet, totum eſſe ſeminis materiale,atque excrementitium eſſe,nullamque recepiſſe virtutem agẽdi, quemadmodum, neque ſanguis ipſam ab hepate recepit. Vnde evidenter colligitur, ſemen eſſe teſtibus,& generando fœtu, qui ex ipſo generatur, multo imperfectius, ut ſanguis eſt hepate, & carne,in quam convertitur imperfectior eſt. Ex quibus certe quoque colligitur nullum auctorem, niſi caliginoſum habet ingenium, dicere poſſe ſemen generare fœtum perfectiorem ſe. Vnde patet, quod ſemen ſolum concurrat ad generationem fœtus, tamquam cauſa materialis. *Semen teſtibus & fœtu generando imperfectius.*

Hoc idem confirmavi probando virtutem generativam, quam ſemen ex patre ad uterum afferre dixerunt, nec poſſe dimanare ab eſſentia ſeminis, tamquam ejuſdem ſeminis proprietas, quia ſic ſolum valeret ſimile ſemen generare: nec eſſe virtutem generativam patris dimiſſam ab ipſo patre: nam virtutes, præſertim hæ, quæ dicuntur officiales, ita impoſsibile eſt tranſire ex uno

in aliud ſubjectum, ac eſt impoſsibile, quod una forma ſubſtantialis ex uno ſubjecto ſibi diſpoſito migret in aliud, ut ſuperius probatum eſt. Quemadmodum enim eſt impoſsibile, quod facultas videndi, verbi gratia, ex oculo migret in aliud quodcumq́ue membrum: ſic eſt impoſsibile, quod facultas generatrix patris recipiatur in ſemine. Nam quemadmodum ſemen eſt incapax ſubjectum animæ, ut dixit Ariſt. ſic eſt incapax ſubjectum facultatis generatricis patris, cujus quidem facultatis proprium organum teſtes eſſe illi dicebant. Hoc autem argumẽtum facilè ſolvit Senn. dicens me naturam ſeminis ignorare: ego autem contra exiſtimo, ut quiſque poterit judicare ex mea de hac re lata diſputatione.

Impoſſibile eſt quod facultas generatrix patris in ſemine recipiatur.

Iudex igitur nunc ſit Senn. an hæc argumenta efficaciſsima ſint adverſus dictas duas opiniones. Solum enim id impedire poterit rebellis, inveterata, atque contumax protervia, & cœcus quidam amor obſcœnarum opinionum.

Tertio mihi valde urgere aſſerit argumentum illud, quo l. 3. de princ. gen. c. 18. adverſus Thomam Fienum aſſerentem fœtus animam ſuam facere formationem, probavi id minime fieri poſſe: quia ſcilicet conveniens materiæ præparatio, tam pe-

nes

nes extenſionem,quam penes attemperationem, debet præcedere animæ unionem,non modo natura, ſed tempore quoque: nam cum præparatio fiat propter unionem,neceſſario debet ipſam præcedere. Quod quidem argumentum,ut recte aſſerit Senn. valde mihi urget, quia evidenter probat intentum: multum tamen magis contrinxit Sennertum, cum ipſum in varia præcipitia dilabi faciat. Cogit enim argumentum Sennertum dicere animam poſſe uniri materiæ actu primo ante debitam ejuſdem materiæ extenſionem, & attemperationem, ad efficienda ea opera, quæ ſunt neceſſaria ad conſervationem unionis. Quod quidem non ſolum falſum, ſed prorſus eſt abſurdum, ut ſuperius probatum eſt. Nullus enim philoſophorum eſt, qui non concedat, quod ea omnia, quæ ſunt neceſſaria, ut animæ, & corporis unio conſervetur, debeant fieri ab agenti generationis, antequam prima fiat unio: nam fruſtra uniretur, ſi non eſſent in materia diſpoſitiones conſervantes unionem: ſed animæ unio, nec momento temporis poteſt conſervari ſine aëris, & alimenti attractione, ergo ante animæ unionem debet habere materia, inſtrumenta attractionis, atque reſpirationis. A poſteriori enim vi-

Animæ cum corpore unio, ne momento temporis, ſine aëris & ali-

menti attractione conſervari poteſt.

videmus diſſolvi unionem in eodem temporis inſtanti, in quo prorſus deficit reſpirandi, atque tranſpirandi actio. Quapropter omnino fallitur is, qui aſſerit has actiones, quæ ſunt neceſſariæ ad conſervationem unionis, non eſſe neceſſarias ad unionem faciendam. Probat quoque Senn. falſum eſſe dictum argumentum exemplo formationis plantarum, & aliquorum imperfectorum animalium, & pullorum, tum etiam & exemplo nutritionis, quæ fit quotidie in viventibus perfectis: nam quemadmodum formatio totius arboris fit ab anima ſeminis, & formatio pulli fit ab anima pulli, & nutritio perfectorum, quæ eſt partialis generatio, fit ab anima, ſic generatio perfecti viventis fieri debet ab anima ejuſdem viventis. Hujus vero ultimi exempli falſitatem multoties convicimus dicentes cum Ariſtot. idem vivens ſe debere nutrie, non tamen ſe generare valere. Ad reliqua vero exempla reſponſum à nobis eſt l. 3. de prin. gen. cap. 22. & 23. & in hoc quoque loco idem breviter repetemus. In his enim imperfectis viventibus pariter quoque negamus animarum traductionem, ſive multiplicationem: nam fatemur produci à generante ſimul cum materiæ diſpoſitione, ſive commutatione. Vnde abſolute nega-

Idem vivens quãvis ſe nutrit, non tamen ſe generare valet.

gamus aliquam horum viventium animam introduci poſſe abſque materiæ conveniente diſpoſitione. Debet enim anima plantæ, ut ſuperius diximus, in materiam introduci, quæ ſaltim vias attractionis diſpoſitas habeat: animam vero pulli aliquid amplius. Velle autem probare integrum modum formationis, & animationis hominis, & aliorum viventium per modum animationis, & formationis plantarum, & imperfectorum viventium, ſic etiam velle probare materiæ diſpoſitiones, quæ ſunt neceſſariæ ad introductionem animæ rationalis, & aliorum perfectorum animalium, per diſpoſitiones, quas requirit anima plantæ, extremum ignorantiæ eſt. Nam, ut probatum à nobis eſt cum Ariſtot. multo aliter fit receptio animarum perfectorum viventium à receptione animæ plantæ, & eorum animalium, quorum animæ propter ſuam nativam imperfectionem in una diſpoſitæ materiæ parte poſſunt conſervari, ut fit in plantis. Quapropter manifeſte patet, Sennertum ſuamet principia fallere. Multoties enim à nobis ipſis decipimur, propter Logicæ ac Phyſicæ ignorantiam.

Sic quoque falſum ſupponit Sennertus, quando aſſerit, ſemina plantarum, & truncos à plantis

ſæparatos, dum conſervant animas, non nutriri: habent etenim intus, ut ova, materiam crudam, ex qua nutriantur. Debilis namque, atque nimis ſopitus illorum calor paucis fomitibus conſervatur: nam, ut Ariſt. lib. de morte, & vita ſentit, hæc vivendi actio à primo animæ actu non ſeparatur: ut ſatis ample à nobis eſt repetitum.

CAPVT VII.

Quod omnes animæ rationales in diſpoſitis individuis ſigillatim à Deo creentur, & quod ſecundum D. Th. & alios doctiſsimos viros ſit hæreticum aſſerere eaſdem mediante ſemine traduci ſive multiplicari.

His tandem, amice Aviles, puerilibus repræhenſionibus dimiſsis accedere jam oportet ad turpioris, & abſonæ multo magis opinionis repræhenſionem. Capite igitur decimo ad inquiſitionem originis animarum rationalium devenit. Quam quidem diſputationem aſtutorum ſimulantium more aggreditur: nam prius propoſitis de origine dictarum animarum duabus opinionibus, una ſcilicet eorum, qui corpus

Opiniones quæ de origine animarũ à Senner-

pus & animam vi benedictionis divinæ à parenti- *to propo-*
bus propagari, & traduci dixerunt, & alia eorum, *nuntur dua tan-*
qui ſentiunt unicuique humano embrioni no- *tum ſunt.*
vam animam à Deo creari, atque infundi: & conceſsis omnibus prærogativis, quæ animæ rationalis dignitati conveniunt, eſſe ſcilicet immortalem, & ſupremæ beatitudinis capacem, fatetur ſe nolle cum aliquo odioſe contendere in hac difficilis rei inquiſitione, ſed unumquemque ſuo ſenſu abundare permittere, promittitque ſi ſuarum rationum veram, atque ſuo ingenio adæquatam quis invenerit ſolutionem, non amplius ſe fore pertinacem. Quod quidem potius ore, quam corde promittit: nam ipſe ita verum eſſe judicat animas omnes rationales mediante ſemine traduci, propagari, ac multiplicari, non aliter, ac reliquas omnes animas materiales, ut impoſsibile exiſtimet ſuarum rationum inveniri poſſe ſolutionem.

Antequam vero ad ſuæ opinionis confirmationem accedat, multa devoranda legentibus ſine maſticatione ſupponit: quale eſt, quod ſive traducis, ſive infuſionis animæ quis auctor fuerit, credat, animam ſemini adeſſe antequam ad uterum deveniat, cum ſola anima ſit totius formationis

M arti-

artifex. Nam contrarium aſſerere falſiſsimum eſſe judicat. His, & aliis potius legiſlatoris ritu, quam Philoſophi ſuppoſitis., ita ſe ſuam opinionem probaturum exiſtimat, ut inexpugnabilem ipſam reddat. Quod autem ſit difficillimum animæ rationalis originẽ invenire, exiſtimat D. Hieronymus Spiritum ſanctum inſinuaſſe, quando dixit, viam ſpiritus ſi noſti, quæ verba ut inquit D. Hieron. legenda ſunt cum interrogatione, ac ſi dixiſſet: Originem animæ quis novit? Iſta vero, quam ſequitur Sennert. opinio tantum à veritate diſtat, à veraque Phyſica ratione, ut ejus falſitatem invenire non ſit difficile, ita, ut licet ſit antiquiſsima, pauci ſint auctores, qui illius meminerint. Fuerunt ſuperioris ſæculi aliqui auctores, qui de origine animæ nimis depravatè philoſophati fuerunt. Gregorius enim Niſſenus l. 2. de anima c. 6. probat non infundi à Deo animas, quoniam ſi ipſas corporibus puerorum, qui ex adulterio generantur, infunderet, cooperaret Deus cum adulteris, quod dicere nefas eſt. Nos autem contra ſentimus: nefas ſcilicet eſſe dicere, ideo Deum cooperatorem eſſe criminum, quia, ut naturæ auctor, & vera cauſa principalis omnium concurrit cum quibuſcumque cauſis ſecundis. æquali ſua boni-

Animæ rationalis originem invenire difficillimum.

Opinio Gregori Niſſeni de propagatione animæ.

bonitate, atque potentia. Tertullianus voluit quoque animas rationales pariter ac corpora, ut belluarum corpora ex ſemine propagari. Exiſtimavit enim, non ſolum animas rationales, ſed, & Deum ipſum corporeum eſſe. Quæ quidem hæreſis damnata jam dudum eſt. Hæreticus autem Apollinaris, & alius, qui appellebatur, Maximus, ex traduce dixerunt eſſe originem omnium animarum, rationalium quoque. Dicebant etenim corpus generare aliud corpus, & animam unius corporis multas poſſe multiplicare animas. Sicuti enim lucernam, lucernam, ita animam, animam producere cenſebant. Horum igitur hæreticorum de origine animæ rationalis, aliquibus mutatis, nunc reviviſcere conatur Senn. opinionem. Aſſerit enim, non ſemen animatum, ſed animam in ſemine producere, ut folio 346. inſinuare videtur dicens: Quod ſemen ſit vehiculum per quod anima à parentibus ſoboli communicetur, quę actio traductio appellatur, & c. ubi traductionem aſſerit eſſe actionem eam, qua anima patris multiplicat, ac veluti accendit in ſemine aliam diſtinctam numero animam, quam ſemen traducit in uterum, quæque faciat corporis fœtus formationem. Non vero audacter, ac cum vera reſolutione affirmát,

Opinio Tertulliani.

Apollinari opinio.

Sennerti opinio.

mat, utrum iſta animæ traductio fiat in ſemine, tamquam in curru, an vero tamquam vera ejuſdem ſeminis ſubſtantialis forma: utrumque enim ex ſuis ſcriptis colligi poteſt, ut dicetur: Addit vero Senn. opinionibus dictorum hæreticorum quoddam additamentum, quo ſe immunem ab omni hæreticæ pravitatis labe manere exiſtimat. Nam quamvis animas non creari dicat, ſed virtute ſeminis traduci, & virtute animarum parētum in eodem ſemine multiplicari, fatetur tamen eaſdem animas incorruptibiles ſemper manere. Nam, ut inquit, nihil facit ad corruptibilitatem, vel incorruptibilitatem creatas, aut multiplicatas virtute ſeminis eſſe. Voluit enim Deus, ut inquit, quod anima Adæ incorruptilis à Deo creata poſſet mediante divina benedictione facere multiplicationem aliarum incorruptibilium animarum.

Generatio ſibi ſimilis omnium actio naturalium præcipua.

Et quamvis Senn. hanc opinionem jam ab omnibus vere philoſophantibus exploſam multis confirmet argumentis, potiſsimum tamen, quo illam probat, totum ſuum deſumit robur ex magis naturali omnium naturalium actionum, quam omnibus viventibus Deus dereliquit, nempe ſibi ſimile, non ſolum in ſpecie, ſed in proprietati-

tatibus quoque individualibus procreare. Nam, ut ſentit Ariſt.magis eſt viventibus naturale propriam cujuſq; ſpeciem mediante generatione cōſervare, quam, ut unumquodque individuum mediante nutritione ſe conſervet.Cum igitur certum ſit, quod omnia bruta animantia, quæ mediante coitu generantur, creata fuerint cum virtute generandi ſibi ſimilia integra ex parte: credibile eſt hominem omnium virtutum naturalium epilogum hujus tam excellentis virtutis non dereliquiſſe orbatum.Nam ſi homo non poſſet corpus,& animam alterius hominis generare,videretur non fuiſſe integra ex parte participem illius benedictionis, cum dixit Deus, creſcite, & multiplicamini. Vera enim multiplicatio fit, quando totum vivens penes corpus, & animam ab alio vivente producitur. Vnde ſi virtus hominis hoc à ſequi non poteſt, non conveniet illi dicta benedictio. His tamen non obſtantibus, hæc Sennerti opinio juſtiſsimis de cauſis à doctiſsimis, atque ſanctiſsimis damnatur viris. Imo & in tantum erit hæretica, in quantum ſecundum Phyſica principia, aliquam ponit immortalitatis, atque mere ſpiritualis naturæ ſuſpicionem. Quam quidem neceſſario ponere videtur Sennerti opi-

nio. Dicere enim animam rationalem convenire cum brutorum animabus in generationis,ſive traductionis, ut ipſe loquitur, modo, mediante ſcilicet ſemine ſuſpectum eſſe in fide Catholica videtur : nam ſic impoſsibile videtur, quin ſecundum iſtam opinionem,aliquid materia litatis, & ex conſequenti corruptibilitatis acquirat anima in ſua traductione, quemadmodum reliquæ brutorum animæ illud acquirunt, nam propter hoc corruptibiles ſunt: cum enim ſatis probatum ſit generationem eſſe actionem totius ſuppoſiti, quidquid generatur, erit neceſſario corruptibile. Verus enim generationis progreſſus fit ſenſim, & paulatim per tranſmutationem materiæ in qua tranſmutatione varias recipit medias formas, uſque ad productionem principalis animæ, quæ effective ab agente mutando materiam producitur, quæ actio à noſtris dicitur, eductio animæ ex poteſtate materiæ, ut diximus. Quæ quidem ſic producta anima neceſſario eſt corruptibilis. Vnde qui affirmaverit animam rationalem mediante ſemine produci, debet in hunc modum productionis incidere,cum ſit omnino contra naturalis generationis modũ ille modus multiplicandi, atque traducendi fictus à Senn. & ab aliis hæreticis.

Generatio actio totius ſuppoſiti eſt.

Vnde

Vnde D. Th. cujus opinio incognoſcendis hæreticorum laqueis tantæ auctoritatis eſt, ut Angelici Doctoris cognomen mereatur 1.p.118.ar.2. abſolute inquirit, utrum anima intellectiva cauſetur ex ſemine. Ita, ut quidquid hic auctor de hac dubitatione deffinierit, intelligi debeat de omni modo, quo dici poterit animam rationalem cauſari ex ſemine. Imprimis igitur, ut ſolet, probat partem affirmativam auctoritate Gen. 46. ubi dicitur: Cunctæ animæ, quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob ſexaginta ſex, &c. ſed nihil egreditur ex femore hominis, niſi in quantum cauſatur ex ſemine, ergo, &c. Deinde idem probat quia in homine eſt una, & eadem anima ſecundum ſubſtantiam, intellectiva, ſenſitiva, & nutritiva, ſed hæ duæ ultimæ in reliquis viventibus producuntur vi ſeminis, ergo, & in homine. Deinde idem confirmat, quia unum & idem agens eſt, cujus actio terminatur ad formam & materiam, ut fiat unum ſimpliciter, ſed anima intellectiva eſt forma corporis humani, quod formatur virtute ſeminis, ergo & anima rationalis cauſabitur virtute ſeminis, præterea homo generat ſibi ſimile in ſpecie, ſed ſpecies humana conſtituitur per animam rationalem, ergo anima rationalis fit à gene-

S. Thomas inquirit utrum anima intellectiva cauſetur à ſemine.

nerante, & non ab extrinſeco.

Deinde inquit S. Th. Sed contra eſt, quod dicitur in lib. de Eccl. dog. quod animę rationales non ſeminantur per coitum: quare dicendum eſſe affirmat, impoſsibile eſſe virtutem activam cujuſcumque corporis poſſe ſe extēdere ad producendum effectum immaterialem. Quod vero anima rationalis limites materiæ tranſcendat, probat, quia habet actionem, in qua non communicat corpus. Tum prætereà, quia anima intellectiva eſt per ſe ſubſiſtens, cum habeat operationem vitæ ſine corpore, in quo differt ab aliis omnibus animabus quarum nulla eſt, quæ propriam habeat actionem, atque extra corpus ſubſiſtat. Vnde fit, ut ſola anima rationalis ſit ex ſua natura ſpiritualis, atque incorruptibilis. Ex quo manifeſte ſequitur, ut inquit D. Th. quod debeat habere diſtinctum fieri à fieri reliquarum omnium animarum: nam cum eſſe dependeat ex fieri, in tantum differt fieri unius rei à fieri alterius, in quantum natura differunt. Cùm igitur certum ſit, quod reliquarum animarum fieri ſit per materialis generantis operationem eo modo, atque diſcurſu, qui à nobis eſt explicatus: eſſe, & fieri rationalis animæ, cum ſit omnino materiale, nullo modo fieri

Anima rationalis limites materię tranſcendit.

fieri debet ab agenti materiali, ſed potius ab immateriali: nam, ut inquit Evangelium, quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ergo ſpiritus ab ſpiritu, & caro ex carne naſcitur. Sed nullus eſt ſpiritus, qui poſſit producere ſubſtantiam immaterialem præter omnipotenté Deum: ergo origo animæ rationalis ſolus eſt Deus, qui per creationem producat ipſam. Vnde concludit S. Thomas dicens: Ponere ergo animam intellectivam à generante cauſari, nihil aliud eſt, quam ponere eam non ſubſiſtentem, & per conſequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo hæreticum eſt dicere, quod anima intellectiva traducatur cum ſemine, &c. ubi non modo aſſeruit eſſe hæreticum dicere animam intellectivam generari, ſed etiam dicere animam intellectivam traduci cum ſemine. Quæ quidem eſt opinio Sennerti.

Quod natum eſt ex carne caro eſt.

Hæreticũ eſt dicere quod anima intellectiva traducatur cum ſemine.

Probat igitur D. Th. animam intellectivam hæreticum eſſe dicere virtute ſeminis traduci, quoniam inde ſequeretur ex neceſſitate naturæ ipſius ſeminis, quod anima rationalis eſſet mortalis: nam quæcumque ſit virtus ſeminis, vel cujuſlibet alterius corporalis agentis eſt corporea, omninoque materialis, ſed nulla eſt virtus mate-

Nulla eſt virtus materialis, quæ ſuam actionem ad effectum mere ſpiritualem terminare poſſit.

rialis, quæ poſsit terminare ſuam actionem ad effectum mere ſpiritualem, cum ſint diverſi ordinis entitates: ergo nullo modo poteſt anima rationalis medio ſemine traduci. Neque anima rationalis in ſemine id efficere poteſt, quæ eſt opinio Sennerti: quia tunc non operaretur, ut eſt intellectiva, ad quam actionem non indiget organo corporeo; ſed, ut eſt forma & actus ſubſtantialis corporis, quomodo neceſſario uti debet organo corporeo: qua ratione, quamvis ipſa ſit incorruptibilis, omnes tamen ejus effectus corruptibiles ſunt, ut conſtat in generatione chili, ſanguinis, carnis, & reliquarum partium. Vnde ſi anima rationalis in ſemine exiſtens produceret animam rationalem, neceſſario hæc anima producta eſſet corruptibilis, quemadmodum ſunt corruptibiles reliqui omnes effectus, quos operatur tamquam forma ſubſtantialis, & actus corporis: quamvis, ut intelligens eſt, ſit ſpiritualis totamque materiæ capacitatem tranſcendat. Vnde fit, ut à nulla virtute corporali poſsit corrumpi, nec traduci, nec multiplicari. Propter hanc etenim rationem grandis ille Ariſt. coactus fuit fateri intellectum non fuiſſe genitum, ſed de foris advenire homini: fuit enim apud omnes antiquos Philoſophos prin-

Effectus quos operatur anima rationalis, eſt forma ſubſtantialis, & actus corporis corruptibiles ſunt.

principium ſtatutum : omne ſcilicet genitum ſubjectum eſſe corruptioni; quapropter animæ rationalis productio non eſt per generationem, ſed per creationem, cum non ſint alii modi productionis ſubſtantialium formarum. Convenit enim animę rationalis productio cum productione Angelicæ naturæ: nam,ut inquit D. Th. 1.p.q. 89. art. 1. Omnes animæ humanæ in gradu, ſive genere intellectualium,ſive ſpiritualium creatuarum collocantur, quamvis in eodem gradu infimum obtineant locum. Quemadmodum enim perfectio ſublunarium corporum mira varietate indiget : ſic perfectio intellectualium admirabilem quoque expoſcit varietatem. Quemadmodum vero omnes iſtæ creaturæ intellectuales in eſſe ſpirituali,& intellectuali cõveniunt,ſic quoq; conveniunt in productionis modo: ſed Angeli fieri non poſſunt,niſi per creationem,ergo neque animæ. Non quidem, quod creatio inducat neceſſario ſpiritualitatem & incorruptibilitatem, ſed, quod productio earum ſubſtantiarum, quæ neque ab intrinſeca materiali contrarietate, neque ab extrinſeco contrario corrumpi poſſunt, fieri non poteſt niſi ab agenti infinitæ virtutis, quod poſsit ex nihilo ſubſtantiam aliquam face-

re, quæ à nulla alia creata ſubſtantia poſsit diſſolvi. Ita D. Th. alio in loco, 1. ſcilicet p. q. 90. art. 2. inquirens utrum anima rationalis, ſit producta per creationem, dixit hoc eſſe verum, & conſtare ex primo Gen. ubi dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: eſt autem homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus ſecundum animam: ergo anima exivit in eſſe per creationem. Quare ibi quoque concludit D. Th. naturam & eſſentiam animæ rationalis fieri non poſſe, niſi per creationem. Nam cum fieri ſit via ad eſſe, eo modo alicui competit fieri, ſicut eidem competit eſſe, ſed animæ rationalis eſſe eſt ſubſiſtens, & ſpirituale: ergo à ſolo Deo immediate poteſt fieri, ſicuti, & omnes reliquæ ſpirituales creaturæ. Nam, ut inquit S. Th. nulla ſpiritualis creatura poteſt fieri ex materia præjacente corporali, aut ſpirituali: utroque enim modo corruptibilis eſſet. Nam ſi corporalis eſſet materia certum eſt, quidquid ex illa fit eſſe corruptibile: ſi vero eſſet ſpiritualis materia, ſequeretur, quod ſubſtantiæ ſpirituales ad invicem tranſmutarentur, haberentque materiam communem, & corrumperentur.

Nulla ſpiritualis creatura ex materia præjacenti fieri poteſt.

Quare merito D. Th. abſque aliqua diſtinctione

ne loquens, dixit hæreticum eſſe affirmare animam rationalem traduci, multiplicari, aut generari mediante virtute alicujus corporis, aut mediante anima rationali, quatenus eſt forma ſubſtantialis corporis. Nam, quamvis ſemen hominis ageret in virtute animæ rationalis informantis, non ageret tunc in virtute animæ, quatenus eſt intelligens, ſed quatenus eſſet forma ſeminis, & ſic ſolum poteſt corpus informatum anima attingere diſpoſitiones materiales ad receptionem animæ, & nullo modo ad eſſe animæ, ut probatum eſt. Quia ſcilicet nulla poteſt eſſe virtus corporea, quæ valeat ſuam terminare actionem in ſubſtantiam ſpiritualem ac per ſe ſubſiſtentem. Propterea enim materia prima eſt in generabilis ab aliquo corporeo agenti, quia ſcilicet eſt incorruptibilis. Sic quoq; quemadmodũ eſt impoſsibile, quod Angelica natura fiat virtute agentis corporei, quia eſt ſpiritualis, atque incorruptibilis: ſic nec anima rationalis quia eſt ſpiritualis, & incorruptibilis. Animæ vero brutorum, cum non ſint ſpirituales, non indigent creatione, ut fiant: nam ſufficit ad ipſarũ procreationẽ actio agentis corporei, atq; corruptibilis, quod valeat tranſmutare, ac diſponere materiam, & ſic animam producere,

Corpus informatum anima ſolum diſpoſitiones materiales ad receptionem animæ attingere poteſt.

Ex iis, quæ dicta ſunt, facile D. Th. propoſitis objectionibus ſatisfacit. Vnde ad auctoritatem ex Gen. reſpondet ibi partem pro toto intelligi: animam ſcilicet pro toto homine.

In brutorum animatione inſtantaneus trãſitus non fit ab extremo ad extremũ.

Ad ſecundam rationem reſpondet, diſpoſitionem materiæ humani corporis, & totam brutorum animationem, non ita fieri, ut ab extremo ad extremum inſtantaneus fiat tranſitus, ſed fieri per motum alterationis tranſmutando paulatim materiam per medias quaſdam formas, quæ per adventum ſubſtantialis formæ corrumpuntur, eo modo, quo à nobis probatum eſt lib. 3. de princ. gen.

Non eſt inconveniens eſt virtus ſuperioris agentis ultimæ formæ productionem pertingat.

Ad tertium argumentum reſpondet, rationem illam ſolum habere locum, quando diverſa agentia non ſunt ſubordinata: nam quando ſunt ſubordinata, non eſt inconveniens, ut virtus ſuperioris agentis pertingat ad productionem ultimæ formæ, cujus eſſentia ſit ejuſdem ordinis cum illo, & diverſi ordinis ab ordine inferioris agentis: virtus autem hujus inferioris agentis ſolum pertingat illud quod ſua natura aſſequi poteſt, materiæ ſcilicet diſpoſitionem. Vnde fit, ut in procreatione hominis totius homo non operetur, ut agẽs principale, ſed, ut inſtrumentum Dei: diſponendo ſci-

ſcilicet materiam per varias eas tranſmutationes, quæ ad unionem formæ ſunt neceſſariæ: Deus vero agit ſicut cauſa principalis, producendo animam à ſe creatam. Nullum autem reperitur inconveniens, nulluſque ſequitur hominis defectus ex eo, quod in conjunctione animæ ſpiritualis cum ſubſtantia corporea actio ſupremi agentis gerendo vicem cauſæ principalis terminetur ad productionem formæ ſpiritualis: actio vero agentis corporei vicem inſtrumenti exercendo, terminetur ad diſpoſitiones materiæ, & ad unionem animæ creatæ à Deo cum corpore ab homine elaborato: quoniam tunc tota illa generatio non fit à duobus agentibus, ſed ab agente principali, & ab ejus inſtrumẽto. Vnde non agunt duo agentia, ſed unum completum: propterea enim recte aſſeruit Pater Leonardus Leſsius l. 1. de ſummo bono cap. 9. animam ſcilicet rationalem eſſe mirabile opus Dei. Nam quamvis tres diverſi gradus reliquarum animarum in ea miro modo contineantur, ita, ut virtute ſit triplex, tripliciſque generis habeat functiones: ſecundum vero gradum intelligendi, qui eſt ſupremus, & à quo omnem ſuam excellentiam habet, eſt ſubſtantia ſimplex, ſpiritualis, atque ſubſiſtens ſicut *Anima rationalis opus Dei mirabile.*

An-

Angelus, atque ita non poteſt, niſi à Deo creari, ut Angelus. In quo loco graviſsimus iſte auctor eandem, quam D. Th. reddit rationem, propter quam anima rationalis creabilis, & minime generabilis ſit.

Ad quartum argumentum, quod eſt murus, atque potiſsima opinionis Sénerti defenſio, reſpondet D. Th. hominem vere generare ſibi ſimile, ita perfectè diſponendo materiam, ut animæ creatæ à Deo poſsit naturaliter uniri. Nam, ut aliquod agens dicatur verum agens alicujus effectus compoſiti, ſive artificialis, ſive naturalis ſit, non eſt neceſſarium, ut faciat partes componentes, ſed ſatis eſt, ut illarum partium debitam faciat unionem. Vere enim dicetur architectus, qui partes domus ab aliis artificibus elaboratas conjungit, ac ita eas unit, ut domus perfecta reſultet. Sic quoque ille artifex parietem facit album, qui parieti unit albedinem, etiamſi, nec albedinem, nec parietem fecerit. Sic etiam illud agẽs, naturale compoſitum ex forma naturali, & ex materia prima facit, quod facit unionem cum materia prima etiamſi ſit in generabilis, ipſamq́ue non fecerit agens. Tum prætereà, ſi vera eſſet quorundam hæreticorum opinio dicentium omnes animas ratio-

Ad generationem alicujus effectus compoſiti ſufficiens eſt, ut agẽs, partium debitam unionem faciat.

rationales ſimul cum Angelis fuiſſe creatas, vera eſſet generatio facta ab homine, qui animæ jam præexiſtentis cum ingenerabili materia faceret unionem. Vnde veriſsima eſt ſententia D. Thomæ dicentis, quod etiamſi anima intelligens ratione ſuæ eſſentiæ ſit terminus creationis: ejus tamen cum diſpoſito corpore unio eſt verus terminus generationis. Ex quo fit, quod etiamſi anima à Deo creetur, veriſsimè tamen dicitur hominem ſibi ſimile generare, quia ab eo directè & effectivè cauſatur talis unio, ac diſpoſitio corporis. Hoc enim facere, eſt facere eſſe animæ ſecundum certum modum: quantum ſcilicet attinet ad naturalem, ac ſibi debitum modum ineſſendi cum corpore unitæ: nam ex tali unione tertia reſultat entitas, quæ eſt homo ab homine vere genitus.

CAPVT VIII.

Quod Pater Suarez ſimiliter, ac D. Th. Phyſicis rationibus, veriſque teſtimoniis probat eſſe de fide, veritatemque Catholicam, quod omnes animæ rationales creentur, & aliquæ Sennerti objectiones diſſolvuntur.

De opere 6. dier.

DOctiſsimus quoque Pater Franciſcus Suarez in opere de hominis procreatione eandem, quam D. Th. ſequitur opinionem. Nam l. 3. cap. 8. inquit: anima enim à Deo habet originem, & eſt de fide certum: nam per ſolam creationem fit ad imaginem & ſimilitudinem Dei: in gradu ſcilicet vitæ intellectualis, ac ſpiritualis. Et cap. 7. ejuſdem lib. probat animam Adæ, tum etiam, & animam Ævæ fuiſſe à Deo creatas, & ex conſequenti indicat naturam, & originem omnium rationalium animarum, originem quidem eſſe per creationem, quia natura & eſſentia omnium ipſarum eſt eſſe ſimiles Deo in eſſe ſpirituali, & in eſſe intelligibili. Cōveniunt etenim animæ intelligibiles cum Angelis in ſimilitudine cum Deo, & in origine. Et ad explicationem

Anima intelligibilis in eſſe intelligibili Deo ſimilis.

nem originis animarũ affert verba illa ex 2. Gen. nempe: Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem. Quæ verba quamvis de ſolo Adamo dicantur, ad Ævæ quoque formationẽ & animationem transferenda eſſe affirmat. Quaſi dicat: formavit igitur Deus mulierem de coſta Adæ, & inſpiravit in faciem ejus inſpiraculum vitæ, & facta eſt mulier in animam viventem. Vbi aſſerit, ſpiraculum vitæ fuiſſe rem creatam habentem ſimilitudinem cum ipſo Deo creante, in intelligendo, in immaterialitate, & in immortalitate. Et affert locum Theod. q. 23. in Gen. agens adverſus hæreticos, qui dicebant, ſpiraculum vitæ eſſe aliquid de ſubſtantia Dei. Et inquit Theod. Extremæ impietatis eſt, & blaſphemiæ ſententia hæc: nam per hoc Scriptura divina facilitatem creandi demonſtravit, & ipſius animæ naturam obſcure declaravit: nempe ipſam eſſe ſpiritum creabilem, inviſibilem, intellectivum, & expertem craſsitudinis corporis, &c. ubi non ſolum animas Adæ, & Ævæ creatas fuiſſe aſſerit, quia primorum duorum hominum animæ erant, ſed quia revera erant de natura creabili, & nullo modo de natura generabili, ex ſubſtantia

Anima rationalis non eſt de natura generabili.

ſcilicet incorporea. Vnde cum omnes animæ rationales conveniant in eſſentia, quæ ex ſua natura ſit creabilis, omnes proculdubio debent per creationem multiplicari. Quod quidem eſſe de fide, & eſſe veritatem Catholicam, vulgatiſsima eſt in dictis libris Franciſci Suares ſententia, ſigillatim ſcilicet in ſingulorum hominum productione.

Cum igitur ſecundum ſententiam D. Thomæ, Cajetani, Franciſci Suares, aliorumque graviſsimorum Doctorum, & ſecundum Phyſicam veritatem, & cum ſit de fide, ac Catholica veritas, quod productio animarum intelligibilium fiat per creationem, erit proculdubio hæreticum, ac ſatis in fide ſuſpectum, & contra omnem naturalem rationem aliquo modo depravatam Sennerti opinionem deffendere. Ex iis enim quæ diximus, tota Sennerti audacia totumque ſuarum rationum robur manifeſtè ruit.

Animæ rationalis origo, quatenus talem eſſentiam obtinet, inveſtiganda eſt.

Concedimus igitur cum Sennerto animæ rationalis originem inveſtigandam non eſſe, quatenus ſeparata exiſtit, nec quatenus exercet formæ ſubſtantialis corporis opus, ſed potius quatenus talem, vel talem eſſentiam obtinet: nam qualem habuerit eſſentiam, talem debet habere originem.

nem. Cum igitur non mutet aliquid de ſua eſſentia per hoc, quod eſt informare, vel eſſe ſeparatá, nullo modo mutabit originem per ea, quæ illi accidunt, ſed potius propter propriam naturam & eſſentiam: ſed natura & eſſentia animæ eſt ſimplex, ſpiritualis, & incorruptibilis, atque intelligibilis: ejus ergo origo ſolum poteſt eſſe ab auctore, qui valeat omnes ſpirituales ſubſtantias ex nihilo facere, cum nullo modo habeant præjacentem communem aliquam materiam, ex qua per generationem fiant. ¶Et nihil obſtat, ut hoc verum ſit; quod dum informat, actiones vegetandi & ſentiendi mediis corporalibus organis exerceat, neque quod intelligat mediante actione ſenſuum, cum non propterea ſuam amittat ſimplicitatem, & eſſentiæ immaterialitatem. Continentur enim in illa ſpirituali natura miro quodam modo gradus vegetãdi & ſentiendi. Et quamvis tunc intelligat per converſionem ad phantaſmata, non propterea dicendum eſt, intellectum eſſe potentiam materialem, cum ſimplex, ac immaterialis exiſtens illo modo intelligendi tunc uti ſit nacta, quia cauſa unde emanat naturalis corporis munere utitur, & eſt illi naturæ incorporeæ talis intelligendi modus quodam modo violen-

lentus. Hinc enim naſcitur ea repugnantia, quæ inter corpus & ſpiritum reperiri dixit Apoſtolus: qua quidem carebit anima, cum ſeparata à corpore, vel cum corpore glorioſo unita poſt reſurrectionem, ſimul cum Angelis coabitet, & illorum intelligendi modo utatur. Habet enim anima rationalis tamquam ſibi propriam intelligendi potentiam, qua quidem utitur, & dum corporis humani formæ naturalis proprio munere gaudet, & dum ſeparata exiſtit. In utroque vero ſtatu intelligit mediantibus ſibi proportionatis ſpeciebus, in materialibus ſcilicet: cum hoc tamen diſcrimine, ut dum eſt unita corpori illas accipiat per converſionem ad inferiora, ad ſenſuum ſcilicet phantaſmata, illuminatas tamen, ſive ſpiritualizatas beneficio intellectus agentis. Quando vero anima eſt ſeparata, non intelligit per ſpecies innatas, nec per ſpecies quas abſtrahit à ſenſibilibus, nec ſolum per ſpecies conſervatas, ſed per converſionem ad ſuperiora recipiendo ſpecies ab influentia divini luminis participatas, quarum anima à vinculo corporis ſeparata fit particeps, ſicut, & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ. In omnibus enim ſubſtantiis intellectualibus creatis invenitur virtus intellectiva, quæ naturaliter eſt apta ad intel-

intelligendum per converſionem ád divinum lumen. Nihil igitur de natura ſpirituali animæ rationalis detrahit, quod actu informet, vel ſit ſeparata. Vnde ejus origo, ac fieri debet eſſe illud, quod naturis ſpiritualibus ac ſubſiſtentibus competit. Et nihil quoque obſtat ad animæ creationem, quod ſit altera ſubſtãtialis hominis pars: Angelus vero integra ſit natura: nam cum ambæ ſint creaturæ per ſe ſubſiſtentes, quæ conveniunt in natura ſpirituali, debent quoque convenire in origine. Imo, ut inquit Pater Suares, anima intellectualis Angelicam naturam excedit, non abſolutè, ſed ſecundum quid, magiſque aſsimilatur Deo, quia ſcilicet anima poteſt ſuum eſſe corpori communicari, & illi ſubſtantialiter uniri, quæ opera Angelus facere nequit. Deus autem altiori modo, & ſine imperfectione, vel per creationem, vel per conſervationem, vel mirabilius per incarnationem id facere potuit. Creatur igitur anima intelligens ab ipſo Deo, quatenus eſt ſpiritualis, ut Angelus, cum tali tamen aptitudine, ut poſsit unita, ac ſeparata conſervari: & jam ſæpius diximus, iterumque repetimus, quod ſcilicet Deus per illam benedictionem, creſcite, & multiplicamini, non dedit virtutem ſe multiplicandi animabus

Anima intellectualis naturam Angelicã, non abſolutè, ſed ſecundum quid excedit.

Per benedictionem creſcite,

ſepa-

& multiplicami-ni, non animabus ſeparatim, ſed toto compoſito, Deus virtutem ſe multiplicandi dedit.

ſeparatim, ſed potius animabus unitis, toto ſcilicet compoſito ex anima & corpore, cum actiones omnes materiales à ſuppoſitis oriantur, tamquam ab integra faciente cauſa: ab animabus enim naſcuntur tamquam ab ea compoſiti parte, à qua tamquam ab origine effectivo naſcuntur, à materia vero, tamquam ab organo, ac inſtrumento operantis. Vnde fit, ut tam ſubſtantiales quam accidentales formæ materiales non fiant per ſe, ſive ſeparatim à materia, ſed ſimul cum toto per variam materiæ tranſmutationem, ac per medias quaſdam formas, ut 7. Meth. docuit Ariſt. Acquiruntur enim talis formæ eo modo, quo acquiri videntur ſtatuarum formæ: ſimul ſcilicet cum elaboratione materię. Ars enim æmulatrix eſt naturæ in quantum poteſt. Anima vero rationalis iſto modo acquiri non poteſt: nam cum hæc ſola inter ſubſtantiales formas habeat eſſe ſpiritualis, ac ſubſiſtentis ſubſtantiæ, ejus fieri non dependet ex varia materiæ tranſmutatione, ſed deforis illi advenit, ut dictum eſt. Et hæc dicta ſufficiant pro reſponſ. Sen. ad primam objectionem. Probatum enim eſt per vera ac proxima principia, non eſſe poſsibile, ut eandē habeant originem animæ intelligibiles, ac animæ brutorum, atq; plantarum.

Animæ intelligibiles non habent eandem originem ac animæ brutorum atq; plantarum.

Vis,

Vis, ac robur ſecundæ objectionis, quam adverſus ſuam opinionem affert Senn. conſiſtit in eo, quod ſi anima mediante ſemine traducatur, fieri non poteſt, ut immortalis maneat. Hujus rationis vis augetur, quia ſi ſemen animatur in teſtibus, ut ſentit Senn. ſequeretur, quod quotieſcumq́ue fruſtratur conceptio, etiamſi debitè ſemen effundatur, neceſſario periret anima, homicidiumq́ue ſequeretur. Ad hanc rationem alioquin veriſsimam, varia reſpondet deliria. Imprimis enim aſſerit hujus argumenti robur, non eſſe tantum, quantum ab aliquibus putatur. Ad ſolutionem vero ſupponit, omnia à Deo creata eſſe corruptibilia reſpectu Dei, etiam Angelos & animas rationales. Quam propoſitionem veram eſſe credimus: nam quemadmodum Deus potens eſt infinita ex nihilo facere: ſic potens eſt eadem in nihilum redigere, ſimul quoque credimus, nihil creatum, præſertim eorum, quę ex materia ex ſua natura incorruptibili, fecit aliquando fore ut in nihilum reddat miſericors Deus. Aliqua enim in mundi creatione ex materia ex ſua natura corruptibili fecit, alia vero ex materia ex ſua natura incorruptibili, ut Angeli, & quæ ſigillatim creantur animæ rationales. Vnde ad conſervationem ho-

Omnia creata etiam Angeli, & anima rationalis, reſpectu Dei, corruptibilia.

Communis concurſus Dei ad perpetuam cõſervationem eorũ, quæ corruptibili conſtant materia, ſolus non ſufficit.

rum communis concurſus Dei ſufficit, qui ſolus non ſufficit ad perpetuam conſervationẽ eorum, quæ corruptilibi conſtant materia. Cum igitur animæ rationales ex ſua natura ſint incorruptibiles, fieri non poteſt, ut mediante ſemine traducantur, ſive generentur, ut generantur animæ brutorum: nam in hoc non ſunt animæ Angelis ipſis inferiores, quod falſo vult Senn.

Falſum quoq; eſt, & ab omni ratione alienum, dicere modum productionis animarum omnium nihil facere ad eſſentiæ corruptibilitatem, vel incorruptibilitatem, ſed ea ſimpliciter à mera creatoris voluntate dependere. Quibus verbis aſſerere vult, id, quod jam probatum reliquerat, nempe, quod etiamſi animæ rationales, & animæ brutorum eundem modum productionis habeant, hæ tamen corrumpuntur, quia Deus non vult ipſas incorruptibiles conſervare: illæ vero non corrumpuntur, quia Deus ipſas incorruptibiles conſervat. Quæ quidem adeo abſurda ſunt, ut repræhẽſionem non mereantur. Probatum enim abunde eſt, eodem modo debere diſtingui fieri immaterialium, à fieri materialium, ſive corruptibilium, quo eſſentia incorruptibilium à corruptibilium natura diſtinguitur, cum fieri tendat ad eſſe,

ut

ut per ſe eſt notum. Vnde impoſsibile eſt, quod eundem productionis modum, eundemque auctorem omnes habeant animæ.

Ex iis, quæ diximus manifeſtè quoq; conſtat, quam falſa ſit concluſio Sennerti dicentis: [Ideoque falſum ſit id, quod dicitur: Si humana ſcilicet anima poſt mortem per ſe & ſine materia ſubſiſtet, ergo etiam extra & ſine materia producitur.] Nos autem rectius concludimus: affirmando ſcilicet humanam animam ita ex ſua propria natura eſſe ſpiritualem, atque incorruptibilem, ut ſeparata à corpore ita propriam habeat ſubſiſtentiam, ut ipſam habent Angeli: ergo impoſsibile eſt, ut naturaliter virtute agentium corruptibilium fiat, vel corrumpatur, ſed potius virtute omnipotentis Dei. Et etiamſi ab externo fiat agenti, intra ipſum tamẽ corpus creatur. In primi vero hominis creatione inſufflavit ſpiritum in faciem ejus, quod manifeſtè fecit, ut inſinuaret animarum rationalium productionem à ſe ſolo fieri poſſe, quod non fecit in animatione reliquorum viventium. *Anima rationalis intra ipſum hominem creatur.*

Senn. vero inquit impium eſſe dicere, non poſſe Deum animas immortales facere mediante ſemine. Nos autem aſſerimus, impium eſſe facere Deum tranſgreſſorum earum legum, quas rebus

 natu-

naturalibus in prima mundi creatione conſtitutas reliquit. Ipſe enim ſtatuit, quod res corruptibiles à principiis contrariis, ac corruptibilibus: res autem ſpirituales, ut Angeli & animæ intelligibiles, à principio ſpirituali ac intelligibilí naſcantur. Nam quamvis contrarium facere poſsit: incommutabilem tamen ſemper ſervat principiorum naturalium operandi ordinem. Ad Deum enim ſpectat connaturalis univerſi adminiſtratio, & ejus lèges ſancire, atque obſervare. Vnde is, qui cõtrarium aſſerere audet, vulgarem operandi facilitatem incommutabili Deo imponere vult.

Abſurda quoque reſponſio eſt ea, quam affert Senn. ad illud inconveniens, quod ſequi dicebant ii, qui negarunt ſemen animam in teſtibus recipere: dicebant etenim hi ex Sennerti ſententia ſequi, quotieſcumq́ue ſemen ſine fructu effunditur, committi homicidium: ipſe autem reſpondet, benedictionem, & illa dona gratiæ, quæ ſemini & animæ utriuſq́ue parentis in conceptione conjunctæ Deus conceſsit, nullo modo ſemini alterutrius parentis ſeorſum exiſtenti, & non eo modo, qui ad generationem neceſſarius eſt, effuſo tribuenda eſſe. Ex qua reſponſione neceſſario concedere tenetur, animæ eſſentiam magis, & minus

nus recipere, & quod in utero una reſultet perfecta anima ex conjunctione duarum perfectarum animarum ex una ſcilicet, quæ deſcendit in ſemine fœminino, & ex altera, quæ in ſemine maſculino venit. Si igitur concedat Senn. ita exire à teſtibus animatũ ſemen fœmininum, ac ſemen maſculinum: concedere quoque tenetur unamquamque harum animarum integram perfectionem, ac benedictionem recipere in eodem inſtante, in quo exiſtit eo modò, quo ácquirit peccatum originale. Concedere autem animam cum imperfectione eſſentiali ita produci, ut neceſſarium ſit poſteà perfectiorem reddi, & eſt contra Phyſica principia, & eſt contra fidem. Vnde recte concludit argumentum.

Sexus diſcrimen ad majorem vel minorem viventium perfectionem Deus ordinavit.

Et in aſsignanda cauſa, quare Deus in aliquibus viventibus ſexus diſcrimen conceſsit, in aliis ipſum negavit, magis, ut œconomicus, ſive politicus, quam, ut Phyſicus progreditur. Aſſerit enim id Deum ordinaſſe, ut vita, & ſocietas conjugalis magis firma, atque jocunda eſſet: cum id potius referendum ſit ad majorem vel minorem viventium perfectionem. Nam ea, quæ parum in ſua fabrica artificii habent, citoque abſolvi poſſunt, non indigent utero, ut perficiantur: ea vero ani-

malia, quorum corpora diuturno indigent tempore, ut perficiantur, & indigent materiarum diverſitate, & tuto loco ubi formentur, nutriantur, & ab externis injuriis liberentur. Quæ quidem omnia tanta cum perfectione fecit Deus reſpectu neceſsitatis cujuſque viventis, ut ſi aliquid addatur, vel detrahatur, in utile maneat artificium. Nam, ut inquit Hipp. rectiſsimam ſervat natura juſtitiam informandis iis,quę ad conſervationem cujuſq; viventis fuerint neceſſaria. Verum tamen eſt, quod ſumma omnipotentis Dei ſapientia delectationem incoitu poſuit, ut animalia inclinentur ac moveantur ad ipſum, propter individuorum, in quibus conſervantur ſpecies, aſsiduam multiplicationem.

Veriſsima igitur concluſio, quæ ex omnibus, quæ diximus, colligitur, eſt, quod eodem modo & propter eandem rationem omnium hominum animæ creantur à Deo, ac creata fuit anima Adæ, Ævæ,& anima Chriſti unigeniti Filii omnipotentis Dei: quia ſcilicet omnes conveniunt in natura ſpirituali, ingenerabili, & ab omnium materialium agentium corrumpendi virtute prorſus munita. Nam quemadmodum ſi Angeli de novo multiplicarentur, fieri non poſſent, niſi per creatio-

tionem, ſic neque animæ propter convenientiam in naturis.

Hæc ſunt, amice Aviles, quæ curſim, ac veluti properans in favorem mearum dilaceratarum opinionum tibi ſcribere decrevi. Vnde non invenies ipſa eo accurato ſtudio diſpoſita, quod merentur ea, quæ doctorum hominum communi judicio ſe exponere audent, ſed potius eo domeſtico modo, quo inter amicos ſolent res exagitari animadverſiones iſtas ad te mittere mihi libuit, non alio fine, niſi ut fundamenta mearum ſententiarum in promptu habeas, eaſque deffendas, & apud exteros in connaturali ſuo nitore conſerves, vale. Madriti 14. Novembris 1638.

Ioannes Gallego de la Serna.

APPROBATIO.

Libellus iſte quod ſolidiſsimis rationibus veritatem adſtruat, neque aliquid bonis moribus contrarium habeat, tuto in lucem emitti poterit. Ita cenſeo hac 22. Februarii 1640.

HENRICUS CALENUS, S. Th. Licentiatus, Metropolitanæ Eccleſiæ Mechlinenſis Canonicus, librorum Cenſor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE